

plantaginis, & ex lentibus optimè coctis, & in ipso succo optimè dilutis & pistatis, addita micâ panis qui furno sit coctus; sit verò panis neque omnino furfuris expers, neque nimium eo referus. Eandem complet intentionem emplastrum quod constat ex duobus malis granatis coctis in aceto, postea pistatis; & parti secundum totam circumferentiam applicatis: hoc enim auxilium applicandum postquam Carbus sit scarificatus Aëtio authore, qui tenet hoc tempore applicatum mirificè eum extirpare, radicitus avellere, aliàs enim in principio ante scarificationem repercutit, & venenosam materiam ad viscera retrudit, quod valde periculosum est.

Prælibare tamen in hac re convenit, quòd si res ad eum venerit statum ut cauterio indigeat, sive actuali, sive potenciali, tunc crustam seu escharam auferre debemus per butyri recentis applicationem, aut axungiae porcine non salite. Ad idem etiam mirè conducit sequens emplastrum.

℞. Farinæ. triticæ & hordeacæ, ana ℥. iij. butyri & axungiae suillæ liquefactæ, ana ℥. ij. cum decocto malvarum & uvarum & radicum althææ fiat emplastrum, cui duorum ovorum vitella possumus addere.

De consolidâ majori scribitur quòd inter duos lapides contrita & applicata supra Carbonem, ita divino quodam miraculo anthracem sanat, ita ut intra unius diei spatium tora absolvetur medela præter eam quæ communis est aliis ulceribus. Miranda etiam narrant de scabiosa, nempe quòd devorata, vel è vino pota, vel ejus succus in quantitate unius ℥ addito theriacæ tantillum, internos Tumores ad exteriora protrudit, eosque intensibiliter dissolvit.

Verum tamen ut ad propositum revertatur noster sermo; postquam jam Carbus sit extirpatus & eschara ablata, appareat, ulcus remanens curabimus eisdem indicationibus ac cætera omnia ulcera, nempe prius digerendo, deinde mundificando & tandem incarnando, & cicatrizando, quæ omnia, Deo dante, dum de ulcerum natura, & curatione agemus, latius patebunt. Interim tamen dum curationem hujus mali incipimus, & prosequimur, ut ultimæ indicationi satisfaciamus, epithemata cordi sunt adhibenda tam intrâ quàm extrâ, ut exindemaligna qualitate spiritus invadente liberetur. Extrâ applicabis unguentum naphæ cum pulvere diamargaritonis frigidi permixtum, vel epithema quod sic recipit.

℞. Aquæ naphæ, melissæ & rosac. an. ℥. ij. confect. hyacinth. ℥. β. Misce.


Intra verò apozemata præparabis ex aqua buglossæ, oxalid. borrag. & card. bened. an. ℥. ij. syrupi acetositate citri vel limonis, vel rosarum ℥. ij. confect. hyacin. ℥. ij. Misce.

Idem præstat decoctum florum cordialium, hordei decorticati, & thamarindorum in quantitate ℥. viij. cui vel pulverem lapidis bezoard. in quantitate gr. v. confect. hyacin. vel diamargar. frigidi, vel corallorum, vel alterius confectio- nis cordialis addere possumus, Quorum catalogum passim apud Authores quisque reperiet. Hujusmodi autem portiones frigida maxime juvant ubi febris intensa excitatur. Quòd si sitis jungatur, decoctio hordei vel ejus prifana, cum aliquo ex syrupis relatis ei opitulatur.

Si verò lingua nigritur competit sequens auxili- um.

Henriquet Laureæ Medica Tom. I.

℞. Mucilag. semin. psyllij & cydonior. in aqua rosac. extract. an. ℥. iij. sacchari candi ℥. j. β. fiant globuli lupinis similes quos æget ore contineat. Cum capitis dolor & vigilia torquent ℞. Olei rosac. ℥. iv. lactis mulieris ℥. ij. aceti tantillum, & applicetur fronti & temporibus: Cui si addamus opij gran. iv. excellentiùs idem præstat beneficium. Idem facit unguentum populconis eisdem parti- bus applicatum. Sed de his alibi copiosius favente Deo dicemus.



DISPUTATIO II.

De Erysipelate & aliis Tumoribus à Bile procreatis.

D V B I V M P R I M V M.

De natura Erysipelatis, causis, & indicis.



ICE T indubitatum sit quòd pituita in generatione humo- rum sanguinem consequatur, sitque illius major quantitas in nostro corpore quàm bilis, & melancholia; quia tamen Tu- mores præternaturam à bile procreati in multis conspirant cum sanguineis, consequens fuit post horum determinationem de illis nunc dicamus qui à bile excitantur Tumores præternaturam, & primò de Erysipelate, quod Latinis *Ignis sacer* communiter appellari solet. Est igitur Erysipelas *Apostema cholericum in superficie*, (id est in cute) corporis generatum impulsus tangentis in facile evanescens, iterumque pullulans: Quod juxta Galeni mentem 2. ad Glaucon. cap. 1. explanatum esse videtur, cum dicat: *Exquisitum igitur Erysipelas cutis solius affectio est: Quo solo à reliquis Apostematibus discrepat; nam ob materiæ ex qua causantur crassitiem, necessariò carnis infra cutem existentis sunt affectiones, etsi cutis etiam regionem occupent, & distendant. Cum autem Erysipelatis causa humor sit valde tenuis, & caro sit raræ substantiæ, inde fit ut facile ipsam penetret, & usque ad cutem fluat, ibique detineatur ob ejus majorem densitatem, Erysipelatosumque canset affectum, facile tamen comprimenti evanescens, illicòque à compressione se iterum manifestans ob facilem materiæ motum propter illius tenuitatem ad id valde conducens. Quà tamen ratione Apostema verum dicatur, etsi solum expansum per totam cutis regionem sit, & parum aut nihil ipsam elevans in majorem, & præternaturalem magnitudinem, alibi copiosius scriptum habemus.*

Porro, ut altius Erysipelatis naturam percallea- mus, primam definitionis particulam opus est examinare, an scilicet verum sit esse cholericum Apostema, id est factum ex cholera seu bile, ut ex- inde etiam hujus affectionis Antecedens causa fiat nobis manifesta. Res quidem tum apud ipsum Galenum, tum etiam apud eos qui post illum sua

opera Typis mandârunt non patum contentiosa ; Galenus nâmque 2. ad *Glaucôn. cap. 1.* expressè tenet causari Erysipelas ex bile flava cum sanguine permixta , vel ex sanguine tenuissimo , sic ait : *Flava verò bilis quando sui servans naturam , unâ cum sanguine per totum corpus defertur morbum facit qui Regius appellatur.* Et paulò post infrâ : *eodem capite citato sic procedit. Quòd si ex sanguine aut flava bile calidioribus quàm oporteat mixta fluxio fuerit, vel ex sanguine quidem sed effervescente, & tenuissimo secundum substantiam Erysipelas affectio vocatur.* En Galenum his in locis ità clarè propositam Conclusionem ostendere , ut nulla sit opus enodatione : Attamen qui contrariam tuentur opinionem , nempè à sola flava bile naturali Erysipelas causari facile hæc Galeni loca interpretantur , afferentes ; Apostema hoc esse in duplici sorte : aliud quidem Erysipelas exquisitum quod à sola & syncera flava bile naturali causari aiunt , aliud verò Erysipelas spurium , seu non exquisitum , aut nothum, quod vel ex tenui sanguine fit , vel ex flava bile cum sanguine permixta. Et de hoc asserunt Authores contrariæ opinionis locutum fuisse Galenum *citatis locis* , quod ex eo probant quia alibi ipse dixerat à sola flava bile Erysipelas causari præcipuè 13. *Meth. cap. 4.* ubi enumerans diversas Tumoris species propter materiæ ex qua fiunt diversitatem , sic ait : *Vbi enim flatulenta materia copiosior accessit, flatuosi magis Tumores fiunt, Phlegmoni verò magis similes ubi sanguis, sicut Erysipelati, ubi flava bilis.* Idem ex eodem Authore suaderi videtur 14. *Meth. c. 1.* per sequentia verba : *Haud longè verò à Phlegmone abest & alius morbus quem Erysipelas vocant, is ut monstratum est ex bilioso succo nascitur.* Et paulò infrâ postquam dixerat, *Erysipelas verò in cute potius consistit quàm altè descendit:* prosequitur quasi redens rationem dicens : *Tenuis nâmque substantia est pallida bilis humor :* quasi diceret : quia humor à quo causatur est pallida bilis , quæ tenuis est substantiæ. Idem tenet 2. de *differ. feb. c. 5.* per hæc verba : *Præterea Herpetibus & Erysipelatibus quæ ex flava bile consistunt:* Idem testatur 1. & 5. *Aphor. comm. 2.* & aliis in locis in quibus expressè à bile Erysipelata causari affirmat. Ex quo colligunt 1. ad *Glaucôn. citato;* Galenum de spurio , & non exquisito Erysipelate locutum fuisse.

Hoc idem placitum , rationibus suaderi potest primò ; nam Galenus 13. *Meth. c. 4.* quatuor species Tumoris assignat propter diversitatem substantiæ seu humoris influentis : sed si Erysipelas non fiat ex bile, non erunt quatuor species Tumoris, ergo. Minor sic ostenditur ; nam vel Erysipelas fit à sanguine solo licèt tenui , & sic reducitur ad Phlegmonem ; vel à sanguine cum bile permixto ; & tunc non dicitur absolutè Erysipelas , sed affectio composita, ex Erysipelate, ac per consequens non erunt quatuor species simplicis Tumorum, quod est contra communem omnium consensum. Et confirmatur , nam febris quæ à permixtione duplicis humoris causatur , nullatenus dicitur exquisita , sed spuria. Ergo similiter si Erysipelas causatur à sanguine permixto cum flava bile, non erit exquisitè tale, sed spurium ; ac proindè sic Galenus venit interpretandus, quando ex utroque humore , vel ex tenui sanguine naturam bilis æmulante causari tenet. Denique quia si à sanguine causatur, ergo non solius cutis erit affectio ; sed etiam carnis , quod est contra Galenum, & contra id quod omnes uno proclamant ore.

Sed non desuète ex Modernis plures , quibus contrarios opinandi modos conciliare desiderans, penes id quod Galenus asserit ; *Erysipelas ex sanguine tenuissimo* , idem sonat ac si diceret ex bile , quia sæpè sæpius est in usu ut sanguini tenuissimo nomen bilis indamus , è contra bili nomen sanguinis tenuissimi , ità ut pro eodem humore reputetur nomine tantum diverso : quo fiet ut semper verum constet Erysipelas fieri à bile , & si Galenus ei sanguinis tenuis nomen indidisset. Sic Tagaultius *lib. 1. c. 8.* Guido, Aëtius, & Paulus *cap. proprio de Erysipelate.*

Nos tamen veritate ducti , literamque Galeni diligentissimè & sedulò examinantes, dicimus verum & exquisitum Erysipelas ex sanguine tenui solo , aut ex sanguine & flava bile calidioribus quàm oporteat, & permixtis causari , quòd ità est expressum Galeni 2. ad *Glaucôn. c. 1. citato* ut nullà ex dictis admistrat interpretationem : nam postquam dixit ; *flava verò bilis quando sui servans naturam unâ cum sanguine per totum corpus defertur morbum facit qui Regius appellatur;* immediatè post prosequitur sermonem dicens ; *sola verò* (id est flava bilis) *quando secernitur, & in aliquo membro consistit, Herpes vocatur.* Quo quisquis qui sincero animo Galeni verba dicere cupiat, facile conjectare infallibiliter poterit flavam bilem non causate Erysipelas , sed aliam ejus speciem, nempè Herpetem, cujus naturam infrâ expendemus distinctam valde esse ab Erysipelate secundum omnium consensum : Ergo si sola flava bilis Herpetem facit , restat quòd Erysipelas fiat , vel à sanguine tenui, vel à bile flava permixta cum sanguine ut exindè illius vires refrangantur , & cutem non exulceret, & fortasè carnem ipsam , ut contingit in duabus Herpetis speciebus in quibus sola bilis adusta & assata moxerit , eò quòd sit sine consortio sanguinis qui illius vires retundat , & contemperet. Quo convicti fundamento Paulus , & Aëtius hoc idem testantur, ille *lib. 4. c. 21.* per hæc verba : *Erysipelas est Tumor constatus ex sanguine & bile calidioribus factis,* Aëtius verò *lib. 1. 4. c. 9. sic : flava bilis tenuior, & acrior facta unâ cum sanguine ad aliquam corporis partem irruens Erysipelas efficit.* Quid clariùs , Sed pergamus ultrà :

Cæterum, quod Galenus *citato ad Glaucôn.* per sanguinem tenuem ex quo causari Erysipelas tenet, non intelligat bilem flavam , aut alteram bilis speciem constabit cuique sequentia verba perpendenti, sic ait : *Et si tetigeris, facile sanguis subterfugit, rursusque illabitur exquisitè tenuis & aspectu rubidus.* Tunc sic argumentor : Sed nulla bilis est species quæ ruborem in cute repræsentet ; ergo per sanguinem tenuem causantem Erysipelas intelligi nequit bilis, ni sinistrè Galenum velimus interpretari. Præterea etiam tunc loqui de exquisito Erysipelate verba sequentia Galeni attestantur *eodem capite.* ubi sic habet. *Atque hoc est exquisitum Erysipelas :* unde planè constabit Sectatores Galeni vocandos non esse qui contrariam tuentur opinionem. Et ut clariùs nostræ opinionis veritas pateat, in eos ad hominem fictissimo : Si ob similitudinem sanguinis tenuis cum bile , nomine sanguinis tenuis debemus interpretari in Galeni litera bilem ; cum eadem sit similitudo bilis cum sanguine tenui , cur nos Galeni loca pro eis adducta in quibus à flava bile Erysipelas causari docere videtur, non interpretabimur de sanguine tenui, cum non sit major ratio unius quàm alterius. Etenim si propterea illi affirmant loca à nobis adducta

adducta debere intelligi de flava bile, quia Galenus hanc esse Erysipelatis causam aliis in locis dixerit, eadem ratione nos possumus affirmare loca Galeni quæ probant de flava bile intelligenda esse de tenui sanguine, cum Galenus etiam citatis pro nobis locis à tenui sanguine, Erysipelas oriri doceat. Ergo cum à nobis demonstratum sit Galenum toto rigore de sanguine & exquisito Erysipelate locutum fuisse, certò constare arbitrandum est ex sanguine tenui, aut ex flava bile sanguini permixta causari & flavam bilem se solam statim assari, & Herpetis effectricem esse.

Ex quo quid sit Antecedens causa Erysipelatis constabit; unde etiam facile erit cognitu causam Coniunctam esse ejusdem naturæ cum causa Antecedenti; differre tamen quia illa dicitur humor impactus in ipso membro Erysipelatoso, iste verò humor existens in venis paratus fluere in locum affectum, & actu fluens, dummodò impactus jam non sit; dimitto hac in parte causas alias procatarticas seu externas incidendi in Erysipelas, quales sunt nimia mora in sole, aut igne ex quo vehementer aliquod membrum calefiat, applicatio alicujus medicamenti aeris, aut mordacis, ut radix taphæ, alimentum etiam admodum calidum, & similia quæ quia parvi momenti earum consideratio est, ad signa propeto.

Indicia seu signa Erysipelas attestantia hæc sunt quæ sequuntur, calor & rubedo tendens ad citrinitatem; quòd si rubedo tangatur digitis, evanescit, & statim revertitur, propter subtilitatem materiæ; neque est tantus dolor sicut in Phlegmone, nec tanta elevatio, immò vix cutem elevat, est tamen illius dolor pungitivus & mordicativus, ob humoris mordacitatem, non tensivus, nec pulsativus sicut in Phlegmone, quia solum super cutem expanditur humor, adest etiam sitis atque febris: Quæ omnia ad amissum nobis retulit Galenus 2. ad Glaucon. cap. 1. citato sic: *Erysipelas affectio vocatur multò inflammatione calidior, magisque calorem flavum representans, et si tegeris, facilè sanguis subterfugit, rursusque illabitur exquisitè tenuis, & aspectu rubidus, non tamen dolet hæc veluti inflammatio, neque ut aliqua inflammationis species pulsam aut compressionem, aut similem invenit tensionem; sed quandoque valde parum infestat, actum præsertim quando per solam cutim diffusum fuerit nihil inferiorem carnem molestant, & tale sapinus accidit: atq; hoc est exquisitum Erysipelas.*

En Galenum licet lata oratione signa Erysipelatis non solum manifestavit, sed ipsa à Phlegmonis signis segregavit, etenim in Erysipelate est major calor, quia sanguis tenuis à quo causatur se solus aut permixtus cum flava bile, est calidior quàm sanguis Phlegmonis effectivus. Rursus dolor illius non est pulsativus, quia passio cutis est in quo nullæ, aut parvæ arteriæ apparent, sed ponsgens & mordicans ob reunitatem, & naturam causam seu humoris. Non tensivus quia totus humor per cutem expenditur quin ipsam elevet in molem & majorem consideratione dignam febris denique sitis excitantur, intensus tamen quæ in Phlegmone ob causam intensiorem hos affectus producetem.

Dices: Erysipelas est passio cutis: sed si fiat ex flava bile permixta cum sanguine, subjectam carnem debet occupare, & non solam cutem; ergo non erit verum Erysipelas, sed affectio composita quæ Erysipelas phlegmonosum dici debet. Rursus, color flavus non est proprium sanguinis, ergo si est signum attestans Erysipelas; hoc de sanguine

licet tenui fieri nequit, sed ex flava tantum bile cujus color flavus proprius est. Doctrina ergo de signis non cohæret cum his quæ supra diximus. Respondeo tamen Erysipelas fieri ex flava bile permixta cum sanguine, non tamen ita crasso ut in Phlegmone, sed tenui valde. Quapropter solam cutim afficit: præterquam quòd etiam si non nihil carnis occuparet, non esset contra ejus naturam, ex Galeno 4. Meth. cap. 2. sic: *Sicut Phlegmon etiam cutis aliquid apprehendit, ita Erysipelas aliquid subjecta sibi carnis occupat.* Neque quia mixta sit causa affectio debet dici composita ob tenuitatem quam sanguis debet habere, aliàs si crassus miscetur pariet affectionem, quam vocamus Erysipelas phlegmonosam. Denique color flavus non probat fieri ex sola bile, cum etiam si miscetur sanguis tenuis, quia tam bilis est major quantitas, ejus color magis elucescit. Et cum solus sanguis tenuis est, Erysipelatis causa illum colorem representat, quia fervens debet esse, ex sententia Galeni. Quapropter, & propter ejus tenuitatem colorem flavum representat, aspectu tamen etiam dicitur à Galeno rubidus eodem loco, & sic quidquid contra nos militabat in argumento manet solutum.

DUBIUM II.

De Curatione Erysipelatis.

Erysipelatis curatio quatuor absolvitur scopis. Primus erit in victus ratione ordinanda. Secundus humoris ad partem affectam confluentis (quem Antecedentem materiam appellant) aversionem concernit. Tertius in humoris qui tam in partem ægram influxit (quam materiam Coniunctam dicunt) evacuatione consistit. Quartus verò & ultimus circa symptomatum correctionem, ac propulsionem versatur.

Ergo à Primo incipientes, facile ipsum assequemur si rerum omnium naturalium administratio ad frigiditatem, & humiditatem inclinaverit, ut exinde causæ Erysipelatis per contrarias qualitates occurramus quam ut plurimum humor calidus, & siccus comitatur. Sic etiam victus debet esse incrassans, ut exindè Antecedens materia quæ propter ejus tenuitatem facilè in partem affectam movetur, ineptior ad motum & mobilis reddatur. Similiter omnia pingua, dulcia, acria, calidaque vitanda; quia ea in bilem facilè convertuntur; Lactuca verò, cucurbita, portulaca & acetosa præsertim in jure utendum, nec non pissana seu cremore hordei, aut ejus decocto, in potu ad refrigerandum, & humectandum, & ad incrassandum oriza proderit. Exercitatio, vigiliæ, ira, clamor, & similes affectus, venusq; ac vini usus plurimum nocent in hac passione, & hæc de primo scopo dicta sufficiant.

Circa secundum scopum assequendum, dubium non est quin Antecedentem materiam debeamus avertere à parte affecta, tum evacuatione, tum etiam frictionibus & cucurbitulis in partibus distantioribus factis juxta nostra generalia præcepta. Insurgit tamen difficultas de evacuatione, an scilicet in Erysipelate fieri debeat per sanguinis missionem, an per expurgationem? Circa quod communis opinio inter Medicos & Chirurgos est, in Erysipelate evacuationem esse molendam per medicamentum expurgans quod bilem flavam educat (communiter illud cholagogum vocant.) Fundatur hoc Assertum in eo quòd Erysi-

pelas ex flava bile solum impermixta fiat; quo sic hujus sententiæ Sectatores suum placitum validare conantur. Primò quidem ex Galeno 14. *Method. cap.* 3, ubi dum de cura Erysipelatis ait in sequentia prorumpit verba: *Sed pro sanguinis missione medicamento quod bilem trahat purgantes.* Ergo ex Galeni mente ponderatione qualibet circa ejus verba seclusa, clarè hoc assertum convincitur, videlicet in Erysipellate sanguinem mittendum non esse, sed potiùs medicamento expurgante bilem educente utendum, dummodò illud fortè non sit, ut scammonia, ne scilicet ejus usus majorem fervorem concitet, sed lene, quale erit quod infra adducetur.

Ratione etiam urgeri potest hoc idem placitum; nam ex communi proloquio sanguis est frænum bilis, eò quòd hanc contemperet; sed si in vero Erysipellate sanguinem mittamus, bilis manebit absque fræno; ergo non erit extrahendus, aliàs læviet, & cutem exulcerabit, furiétque si contra sanguinis consortium reddatur: non ergo convenit in hac affectione sanguinem mittere. Ergo cum ex alia parte exhibitò medicamento levi purgantè sola bilis quæ mali causa est educatur, videtur citra dubium eo esse utendum.

Virgentiùs sic idem potest suaderi: nam Galenus 1. *de Arte curativa ad Glaucon. cap. de Tertiana exquisita*, in ejus curatione nullatenus meminit sanguinis missionis, quod non alia ratione fecit nisi quia ejus causa flava bilis est, quæ furibundior redditur sanguine misso; sed eadem militat ratio (saltem in eorum sententia,) in Erysipellate vero: Ergo quemadmodum in tertiana exquisita cujus sola flava bilis est causa ex Galeni mente, non competit misso sanguinis, sed expurgatio tanquam evacuatorium auxilium, ità etiam erit intelligendum in Erysipelatis curatione.

Cæterum, priusquam in hac re certiorum proferamus opinionem, tum certa ab incertis separare, tum etiam aliquid præmittere opus erit. Ergo pro clariori conclusionis nostræ intelligentia prælibare necessum est, Erysipelas aliud esse exquisitum, illud scilicet quod ab uno tantum humore, sive sit bilis flava, sive tenuis sanguis, quod *præced. dubio* satis est disputatum, circa alterius consortium causatur. Aliud verò spurium seu nothum, illud videlicet cujus causa permixta est seu composita ex duplici humore. Ex his ergo dubium non est quin Erysipelas nothum cujus causa est bilis flava sanguini permixta (quod Erysipelas phlegmonosum communiter vocant) sanguinis missionem in principio pro ejus curatione exposcat, cum ejus causa saltem partialis sanguis sit, qui solum per venæ sectionem educitur. Cætera verò Erysipelata notha, nempè Erysipelas œdematosum, & scirrhosum, certum est solum indicare purgationes medicinis habentibus vim purgatricem utriusque humoris peccantis permixtis, eò quòd cujuslibet excessus solum faciat cacochymiam cui expurgatio debetur, & aliàs nec propter incendium nec ob aliam causam sanguinis misso debeatur.

Uterius, præmitto ferè eandem militare difficultatem in opinione Contrariorum affirmantium exquisitum Erysipelas à sola flava bile causari ac in nostro opinandi modo, in quo à solo tenuissimo sanguine oriri dicimus, nam tenuis sanguis separatus à crasso, unde à phlebotomia adæquatè non evacuatur, sed solum ejus aliqua pars, quemadmodum etiam bilis flavæ per san-

guinis missionem aliquid evacuatur. Rursus, etiam tenuis sanguinis calidior & furibundior redditur, si citra consortium sanguinis redditur, manet idem difficultatis cardo in utraque opinione.

His præactis præceptis instat jam occasio dirimendi propositam Controversiam, in qua sit nostra Conclusio, non solum in nostra opinione, verum & in proposita Contrariorum sententia de causa Erysipelatis sanguinem esse mittendum, & tutò posse mitti, in exquisito Erysipellate, parcè tamen & non abundanter sicut in illo spurio in quo sanguis cum flava bile permiscetur, quod Erysipelas phlegmonosum appellatur. Probatum sic, quia etsi bilis flava sit causa Erysipelatis, negandum non est permixtam esse cum sanguine in venis; Ergo factà sanguinis missione simul cum sanguine flava bilis educetur optimè; ergo phlebotomia exerceri poterit, & maxime ubi corpus admodum biliosum non fuerit. Probatum hæc ultima Consequentià, quia dum aliquod remedium evacuatorium causam educit, convenire dicendum est; sed per sanguinis missionem causa Erysipelatis evacuatur; ergo convenit, & tutò exerceri potest.

Dices: Hanc argumentationem inanem esse: nam etsi verum sit per phlebotomiam aliquid causæ evacuati, nihilominus quia simul cum ea plurimum sanguinis laudabilis educitur, inde fit ut majus sequatur nocumentum ex hoc remedio; at cum ex alia parte constet per expurgationem per medicamentum cholagogum factam solam bilem evacuari, quæ causa est adæquata Erysipelatis exquisiti, inde fit ut solum hoc remedium evacuatorium in ejus curatione competat, & non sanguinis missionem, etiam parcam & moderatam. Acute satis, sed tamen contra pergo sic: nam ex propinato medicamento purganti certò timere possumus totius massæ sanguinariæ effervescentiam & ebullitionem; quæ factà & febris quæ comitatur Erysipelas augebitur, & bilis aduretur, & alia sequentur incommoda: sanguine verò misso solum sequitur aliquid spirituosum sanguinis simul cum bile evacuati quod non ità nocet. Ergo curatio per evacuatorium auxilium incipienda erit à sanguinis missione in hac affectione. Minor in qua totius ratiocinationis robor consistit à simili probatur; nam in principio tertianæ nothæ, in qua humor peccans est bilis & pituita, sanguinem mittunt omnes, etiam si cum humoribus peccantibus quibus expurgatio debetur plurimum sanguinis laudabilis educatur; & quod minus ex hoc sequitur nocumentum quam ex purgatione in principio facta, in quo ob materiæ cruditatem efferveret tota massa sanguinaria. & colliquatio eveniret propter pugnam Naturæ retinentis, & medicamenti expurgantis trahentis. Ergo in nostro casu à principio sanguinis misso erit exercenda, etsi sanguis cum bile extrahatur, non verò expurgatio ob fervorem timenda.

Dices iterum & fortius, redargutionem nostram nullum habere robor, si dicamus in principio expurgationem esse tentandam medicamentis lenibus, quibus parum, aut nullum incendium in humoribus possit timeri, unde fiet ut majus sit incommodum secutum ex phlebotomia quam ex purgatione.

Contra tamen sic instatur: nam in præsentibus dubium non est, quin expurgatio sit indicata in Erysipellate, utpote corpus tunc cacochymia laborat

borat, solum ergo stat controversia an possit exerceri in principio tutò sanguinis missio, ità ut ab ea curatio sit inchoanda; quod ità convenire dicimus, quia nullum est expurgans medicamentum quod agitationem in humoribus non causet: sanguinis verò missio præterquam quod causam evacuat, remedium est refrigeratorium, maximè & præcipuè necessarium in cura Erysipelatis, ut satis notificat Galenus 13. *Method. c. 8.*

Præterea etiam à simili de tertiana exquisita corroborari potest nostra Conclusio; nam hæc causatur à sola bile impermixta. Et licet Galenus 1. *ad Glaucon. capite proprio* non meminerit in ejus curatione de sanguinis missione; nihilominus omnes Scriptores fatentur eam exerceri posse ob rationes supra tactas. Igitur cum eadem sit ratio, in Erysipellate in principio tutò tentari poterit

Deindè verò fervore aliquantulum cessante, levibus medicinis purgationem moliemur exhibitis interim syrupis infrigidantibus, & humorem biliosum attemperantibus, quales sunt qui ex buglossa, cichoria, condrilla, adianto, acetosa, & aliis infrigidantibus & incrassantibus parantur in quantitate ꝑ. ij. additis totidem aquarum, earundemque herbarum pro qualibet dosi: & quod pretiosius habetur, dum materia coqui incipit, vel incendium admodum instat, potum aquæ frigidæ cum saccharo propinare miro modo pro bile attemperanda prodesse sæpenuerò vidimus.

Catharticum verò propinandum seu expurgans medicamentum non debet esse vehemens, ne incendium augeat, sed lene sit & suave, quale est quod recipit sic,

℞ Rhabarbari elect. ꝑ. iv. fiat infusio in ꝑ. iv. aquæ endiviæ, vel seri caprini, expressioni adde diacatholici ꝑ. β. syrupi solutivi rosacei vel Regis ꝑ. j. β. miscæ & fiat potus.

Vel si mavis potionem Rhasis dictam ex aquæ rhamarindonorum summo perè conferre est certum & probatum. Potio autem talis est.

℞ Ptunor. Damascenorum. num. 24. thamatindorum recentium ꝑ. x. sacchari violati quart. β. cui ut efficacior reddatur aliquid rhabarbari addi potest.

Tertiam complent intentionem refrigerantia & reprimentia in principio fluxionis, de quibus abundè *c. de Phlegmone* egimus, exceptis casibus in quibus repercussiva vitentur, ut *ibid.* satis diffusè insinuavimus. Advertere tandem oportet ea debere esse humida simulque frigida, non sicca, quia humor qui Erysipelatis est causa, siccus valde est: Commendat verò Galenus solani succum, vel sempervivi, portulacæ, lactucæ, hyoscyami, umbilici veneris, vel eorum aquas aut decoctas; erit tamen refrigerantis terminus ipsa calor mutatio ad albedinem in particula laborante, aliàs enim livida reddetur pars. Transactò verò principio, & sedatà jam fluxione, quod membro adhæsit & impactum est digerentibus seu evaporantibus auxiliis extrinsecus admotis evacuandum est, per occultam scilicet sensui transpirationem, quæ per porositates fit. Quod munus præstat mirificè hordei cataplasma, & alia similem habentia facultatem quæ *capite de Phlegmone* dum in ejus Curatione de materia Conjuncta mentionem fecimus, sunt posita.

Denique quarta intentio curationis Erysipelatis quæ erat accidentium correctio perficietur si eorum quæ diximus supra meminerimus. Tum

Henriquez Larr. a Medica Tom. I.

capite de Gangrana. si forsan pars livida reddatur, tum etiam in curatione Phlegmonis, ubi quid agendum si induretur pars affecta, si nimis doleat aut ardeat monstravimus. Si verò contingat ipsum Erysipelas exulcerari, admoveatur statim ipsi unguentum album, aut unguentum de lithargyro; sed de hoc symptomate latius *de his sequenti.*

D V B I V M III.

De natura Herpetis miliaris & exedentis quæ pustula cholericæ communiter dicuntur.

Sunt quædam Tumorum seu pustularum cholericarum genera, quæ ad Erysipelas referuntur, communiterque Herpetes nominantur, denominationem sumptà ab effectu, nempe à serpendo: siquidem cutem serpunt, & corrodunt, quapropter ab aliquibus cum Avicenna *formica* appellantur hujusmodi Tumores. Dicitur ergo absolute Herpes Tumor pustulosus seu pustulæ in cute enascentes biliosæ, cum pruritu, ardore, punctura aliquando cum exulceratione, & corrosione, & colore ad citrinitatem declinante. Fit igitur Herpes quando flava bilis non naturalis sola & alteri humori, saltem sensus judicio; impermixta in particulam aliquam decumbit, ibidemque consistit, quæ si in consistentia sua crassior sit acriorque, totam exulcerat cutem usque ad carnem suppositam, & hujusmodi vitium Græci *Herpetem exedentem* seu *depascentem* vocarunt, ad differentiam alterius speciei Herpetis quam *Miliarem* nominant Recentiores aliqui, de quo statim fiet sermo. Galenus verò 14. *Methodi* huic affectio absolute nomen Herpetis dedit.

Si verò tenuior & minus acris, calidæque fuerit bilis, pustulas exiguas per summam cutem, hoc est in sola ejus superficie (siquidem tantum ipsam deurit) milij seminibus excitat, ob quam similitudinem Latini hanc affectionem *Herpetem miliarem* nominarunt, qui non protinus ulcus facit, ut altera species Herpetis quæ exedens dicitur, sed ut dictum est, pustulas exiguas producit valde milij seminibus similes, quæ producente tempore, scilicet cum disrumpuntur in ulcus abeunt, foetidæque; pluribus tum Medicis, tum Chirurgis visum est in hujusmodi vitio bili esse aliquid pituitæ tenuis permixtum, quæ pustulas illas minutulas producit: contrarium verò accidit in Herpete exedente, seu Estiomeno in quo humor biliosus omnino impermixtus & non naturalis fluit in partem, exulceratque protinus, atque corrodit ipsius cutem.

Hinc discas utriusque speciei Herpetis causam esse bilem non naturalem adustam, eo modo quo explicatum supra est. Meo tamen judicio sola bilis flava impermixta, & à cæteris humoribus secreta dum in aliquam particulam decumbit, sufficiens est causare Herpetem, ut planè ex Galeno 2. *ad Glaucon cap. 3.* deduci potest, ubi ait: *Quod si bilis sui servans naturam fluat in totum corpus, Ictericam causat.* Et post hæc prosequitur dicens: *Si autem excreta primo expulsa secundum aliquam particulam stante, Herpes nominabitur:* Ex quo clarè constat bilem naturalem se sola Herpetem causare: vel ut alij dicunt, saltem Ery-

spelas ulceratum, quod licet ejusdem sit generis cum Herpete exedente, quia utraque affectio biliola est, differunt tamen eò quòd Herpetis exedentis causa valde tenuior est; at ulcerati Erysipelatis causa aliquantulum crassior exitit. Unde hæ affectiones etsi ejusdem sint generis, non tamen idem omninò esse certissimum est. Porro Herpetis exedentis causam valde tenuem esse, & affectum ipsum solius cutis esse passionem clarè & sententiosè satis nobis dedit scriptum Galenus 14. *Methodi cap. 17.* per sequentia verba: *Est enim admodum tenuis humor qui Herpetem excitat, adeò profectò ut non solum omnes interiores partes qua utique carnosæ substantiæ sunt, transeat, sed etiam cutem ipsam ad summam usque cuticulam, quam solam propterea quòd ab ea remoratur, tum erodit, tum exedit, quando si hanc sudoris vice transiret, haudquaquam ulcus excitaret, quippe id ulcerum qui ex mordente humore oriuntur, qua nimirum spontanea vocant commune est, quod humor, qui ea facit fistitur in exitu, ac tardat.* En Galenum licet lato ut affolet stylo, claro tamen Herpetis causam valde tenuem esse ostendit. Unde & ipse optimè deducit solius cutis passionem esse, eò quòd facilè carnosas partes penetret sine mora aliqua, Medicæ considerationis digna usque ad cutem, ibique detenta ipsam corrodit & exulcerat, quia bilis non naturalis ex propria natura id nata est facere, nisi forsàn cutis, ità rara sit ut facilem præster exitum humori bilioso per insensibilem evaporationem, in quo eventu totam evanescere affectionem experientiã compertum est.

Ex dictis fit: ut Morbilli, qui vulgo nostro (*Sarampiones*) dicuntur ad Herpetes reducantur, eò quòd & passiones cutis dicantur, & ab humore bilioso causentur; non tamen absolutè Herpetes dicuntur, quia simul cum bile aliquid sanguinis esse permixtum omnes fatentur, & eorum color ad ruborem inclinans satis manifestat, de quibus, Deo dante, dum omnium affectionum naturam exponamus, latius dicemus.

Cæterùm ex speciebus assignatis Herpetis ea quæ dicitur exedens facilioris resolutionis est, quàm quæ miliaris nominatur; quæ illa humorem impermixtum habeat pro causa; ista verò aliquid pituitæ admixtæ cum bile habere supra insinuavimus, quapropter ob ejus crassitiam tardius resolvit, convincit ratio.

Dices: hinc colligitur, Herpetes esse passiones cutis, quia ab humore tenui causantur qui facile penetrat substantias carnosas usque ad cutem, ubi ob ejus majorem densitatem detinetur & corrosionem facit; sed Variolæ fiunt ex materia crassa, scilicet ex sanguine fœcumento, & nihilominus passiones cutis ab omnibus dicuntur; ergo non obstat crassities, ac per consequens non benè inferri videtur, Herpetes esse passiones cutis, quia ab humore tenui causantur. Respondetur: frivolum esse argumentum & malè concludere; nam non tollit, quòd humor biliosus ob ejus acuitatem semper pariat affectiones cutis dum fluit, quòd minùs humor aliter pellatur à Natura usque ad cutis regionem etsi crassus sit, ut contingit in Variolis, & sic optimè semper deducitur, quòd quia in Herpete est causa, ità tenuis causat cutaneam affectionem, quòd ex Dionysij Daza opinione *lib. 2. de Apostemat. in particul. capite proprio*, non ità venit intelligendum de Herpete exedenti; nam hanc etiam

exulcerare carnem subjctam ultra cutem pro certo habetur ex Galeno 2. *ad Glaucon. cap. 1.* Ubi dum de Herpetis exedentis causa sermonem instituit, sic ait: *Siquidem crassa sit secundum substantiam, totam exulcerat cutem usque ad carnem suppositam, atque hunc affectum nominat Hippocrates Herpetem exedentem:* Unde iste Author præter duas Herpetis species à nobis assignatas, aliam speciem absolutam Herpetis assignavit quæ à flava bile, seu ut ipse ait, à pallida ortum habet, dum impermixta in aliquod decumbit membrum, & de hac intelligendum esse Galenum ait, *loco supra citato*, dum ejus causam valde tenuem esse docet, simulque esse affectionem cutaneam seu solius cutis expressè tenet.

Cæterùm, in hac re, nihil certum ex littera Galeni deduci posse inveniet, quisquis ejus volumina attentè evolverit, & legerit, præcipuè *lib. 2. de Arte curativa ad Glauconem de Tumoribus præternaturam*, nec non & *lib. 14. Methodi circa finem*: in his enim confusè satis Herpetis species assignat. 2. tamen *de Arte curativa ad Glauconem cap. 1.* duas tantum videtur assignare quas enumeravimus, quod rationabilius judico contra Dazam qui nullo fundamento ductus tertiam finxit speciem ab Erysipelate ferè indistinctam, quæ consulum valde reddit materiam; ità ut difficilè Medicus possit has omnes affectiones separare: Convenimus tamen cum hoc Authore in eo quòd sola flava bilis naturalis sine adustione Herpetem causare possit sive, exedentem si impermixta moveatur, sive; miliarem si ei aliquid pituitæ conjungatur. Unde ex eo quòd dicat Galenus in Herpete exedente usque ad carnem suppositam exulcerari, non colligitur hanc non esse passionem cutis; siquidem non est unde constet carnem exclusivè non esse intelligendam, potius enim volens ipse denotare solius cutis esse passionem, & totam exulcerare dixit *usque ad carnem suppositam*: ità ut principium seu superficies carnis, esset terminus ulcerationis.

Sed dices, Herpes miliaris fit ex bile minùs calida ac mordaci ac Herpes exedens, & aliàs sibi comitem habeat permixtionem pituitæ; ergo non poterit penetrare usque ad ipsam cutis superficiem, ibique ulcerationem tandem facere; præsertim cum pituita sua humiditate necessariò retardat bilis acrimoniam, ipsamque mitiorem reddat, Non ergo est verum si à causa dicta oritur Herpes miliaris quòd causet eminentias illas parvas supra cutem cum progressu temporis in ulcera abeant, ut supra notavimus. Respondetur tamen non esse veram pituitam crassam substantiam illam quæ simul cum bile pallida aut flava naturali Herpetem miliarem efficit, sed aquositatem aut serositatem quandam quam Galenus & plures Medici pituitam nominârunt; unde cum serositas potius juvet ad penetrationem, ut patet ex bile quæ cum sudore exit, quæ tenuis & aquosa à Galeno dicitur 14. *Meth. cap. 1.* inde evenit ut cutis sit affectio Herpes miliaris, & eminentias illas parvas causet.

Dices ulterius contra nos: Si verum est Herpetem exedentem seu Esthiomenum quod idem est, (quidquid dicat Filonius *in sua praxi capite proprio*, dum tenet Herpetem Esthiomenum idem significare ac gangrænam, seu sphacelum, quod sine fundamento adducitur) fieri ex valde tenui atque bilioso, humore ut ex Galeno didicimus

didicimus loco *suprà citato*, videtur ulceris causatrix non esse, etenim id quod valde tenue est, valde etiam est aptum ad resolutionem per insensibilem transpirationem; ergo prius humor talis evolvit per porositates quam cutem exulceret, malè ergo causam Herpetis insinuavimus si ulcus in sua entitate debet continere. Respondetur facillè cum Galeno 14. *Methodi citato*, aliquando contingere id quod argumentum probat, ut satis denotant illa verba: *Quod si hanc sudoris vice transiret, haud quaquam ulcus excitaret*: Hoc autem tunc accidit quando cutis ob aliquam occasionem nimis rara est; at quia frequenter accidit esse densiorem ipsa carne, dum scilicet est in suo statu naturali, inde fit quòd ibi detineatur humor, & ipsam exulceret ob ejus acrimoniam: ex quo fit satis argumentum.

Denique de signis harum specierum restabat dicendum, sed quia in limine quæstionis earum naturam satis expendimus, easque satis distinguimus per prædicata cuique propria quæ significationem vendicant, idèd in præsentem ne vobis rationem appareat, ab eorum enodatione supersedeo.

DVBIUM IV.

De Herpetum Curatione.

Utriusque Herpetis naturam, & quidditatem jam explicatam, reliquum est ut curationem earum moliamur: Et ut clariùs procedamus; ab Herpete exedente sumemus initium, ut exinde quid in curatione Herpetis miliaris maturius quoad causam diversitatem agendum sit; clariùs constet.

Igitur primum hujus affectus curandi præceptum in victus institutionem refertur quæ eadem servanda erit ac in Erysipelatis curatione competere docuimus: secundum præceptum ad materiam Antecedentis spectat aversionem, Tertium materiam Conjunctam requirit providentiam: Quartum denique ulceris sanationem, pergamus ergo ad causam Antecedentis providentiam (suppositam ratione victus ordinandam eodem modo, quo in cura Erysipelatis insinuavimus) quæ secunda erat in ordine curativa intentio; hæc præcipuè complebitur vacuatione, nec non etiam frictionibus, cucurbitulis, & aliis revulsionum, & derivationum generibus fluentibus, & fluxuris motibus debitis.

Potèd, an pro evacuatione in præsentem affectione sanguinis missio aliquando conveniat, quæri potest. Pro qua dubitatione breviter est dicendum convenire absque dubio, cum fuerit in corpore plenitudo, & tamquam remedium refrigeratorium ob rationes quas dum eadem se obtulit dubitandi occasio in Erysipelatis medela tetigimus, quas sine vobis molestiam inferant omitto. Animadversione tamen dignum erit, quòd si aliquando à sanguinis missione medellam inceperimus, parcius eam, & in multa minori quantitate mittamus quam in Erysipelate, eò quòd humor Herpetis effectivus plus fervens sit, magisque à natura sanguinis distet. Cum jam nulli dubium sit hujusmodi humorem cacochymiam in corpore causare, indubitanter omnes cum Galeno tenent pro materiam antec-

dentis evacuatione expurgationem convenire eo medicamento quod medicatione biliosam adustam è directo, & cum selectione respiciat: Et cum talis materia furiosa valde sit, non expectat digestionem; aliàs potionibus, & syrupis infrigidantibus molendam, ut in erysipelatis curatione insinuavimus, purgatio verò fiet sequenti medicamento.

℞. Rhabarbari electi ℥. iij. epithymi ℥. ij. fiat infusio in succo capri, aut aqua endiviam; aut in decocto hordei, cujus expressionis sumantur ℥. iij. β. Syrup. solur. Regis, aut rosarum ℥. j. β. Misce.

Ad idem facit boli ex cassia fistulari, & pulpa thamarindorum, ana ℥. β. dissolvantur in aqua casei, cujus expressioni addere possumus syrupi solutivi rosar. ℥. ij. aut ablato syrupo addere rhabarbari ℥. β. & pulveris cinamomi ℥. j. ut fiat potio quæ, & aliis similibus, bilem adductam respicientibus uti utiliter possumus quale est serum in quo diatridij optimi gr. viij. sint permixti, ad imitationem Galeni 14. *Methodi cap. 17.* ubi matronam quandam curavit prædicto sero in quo scammonia erat infusa.

Tertium præceptum assequemur per topica auxilia, non quidem ut in erysipelatis cura præscribenda, quandoquidem in illo refrigerantia; & humectantia summopere convenire docuimus: siquidem Herpetis natura refrigerantia, & exsiccantia deposcit topica remedia supra partem affectam imponenda.

Nec fugit mentem meam id quod statim se offert dubitandum, nempe quòd si humor Herpetis effectivus calidus est, & siccus, & multo magis forsitan quam ille qui erysipelas causat, cur sicut in principio istius apponimus topica auxilia frigida, & humida, quia sic humoris contrariantur; in illo etiam humida medicamenta non competunt? Verùm huic dubio facillimo negotio satisfaciatur, quisquis in illo vicerationes, & corrosiones contemplerit ab acrimonia humoris causatas, ulcera namque (ut suo loco Deo favente accuratius dicemus) humectantia respuunt auxilia, solumque desiccationem, & superfluum humiditatis consumptionem exposcunt. Quapropter licet causa sicca sit, & ex se indicet humectantium usus; affectus tamen, nempe ulcus id contraindicat, ex quo principalior sumitur indicatio; utpote majus imminet malum si ulceri non succuramus, quam si causam per omnes contrarias qualitates adæquatè non satisfaciamus. Unde dubio satisfactum arbitror.

Optimè tamen stat cum hac doctrina, ut in principio antequam exulcerationes appareant, securè possumus, & debeamus uti auxiliis frigidis, & humidis quia dum ulcus non est, eadem est indicatio, ac in erysipelate, à quo solum ratione ulceris medela diversificatur, ut ex Galeno potèd colligi 2. ad *Glaucnem cap. 2.*

Quando itaque in Herpete humor in partem influit, juvant solanum, lenticula palustris, rhu, vitis capreoli, summitates rubi, folia oleastri, quorum capiemus succos aut aquas stillatitias, vel ea incoquemus, & additâ hordei farinam, vel lentium, cataplasma consociemus. Postquam verò jam humor defluerit, & solum Conjuncta materia indicat ablationem, tunc auxilia discurrentia, & exsiccantia minimè acia competunt, veluti est sequens quod sic habet:

284 Disp. III. De Tumoribus Pituitosis.

℞. Lanæ succidæ ustæ donec in pulverem redigatur ʒ. ij. corticum pini usti, & loti ʒ. j. ʒ. adipis caprini ʒ. j. olei myrtini ʒ. ij. cera quantum sufficit ut fiat linimentum.

Profunt etiam emplastra de arnoglossa, & de duobus malis punicis, quibus miscantur balaustia, aut gallæ virides. Valent etiam unguenta pompholygos, & album Rhasis, & plumbi lamina quæ fuit in aqua aluminosa diù macerata, & alia similia, quorum catalogum apud plures, tum Antiquos, Tum Recentiores passim inuenietis.

Si verò his & similibus factis corrosio fiat in particula, oportet cum frigidis auxiliis mellis aut alterius abstergentis parum, aut pulverem thuris mixtum cum aceto, aut aquam quam palmites vitis distillant: si tamen hanc velimus extrahere apponemus palmitem igni, ità ut ejus partem extremam debiliorem applicemus, & comburamus. Tum enim per partem aliam extremam exillant guttulæ quibus occurrimus corrosioni in Herpetis medela. At si his vel similibus factis corrosio perseverat, & ulcera cava fiant, lavabis ea aquâ aluminosâ, postea verò fiat sequens linimentum quo ungantur ipsa ulcera.

℞. Succu cucumeris amari, & raphani partes æquales vel ʒ. ij. pulver. rutæ, piperis an. ʒ. j. cum urina puerorum fiat linimentum, & plun. e. ceo subtili pars unguatur.

Rufus si adhuc corrosio non cesset, pulverifetur locus pulveribus satis notis, & communibus, quos Ioannes de Vigo composuit, qui mirificè opitulatur corrosioni. Ad idem etiam valdè conducit aqua quæ sic habet.

℞. Arsenici ʒ. ij. auripigmenti ʒ. ij. fiat decoctio in lixivio secundum artem, quâ factâ in ea madefiant elychnia in ulcera immittendi.

Dum tamen hæc molliuntur in partibus sanis circumjacentibus defensivum ex bolo armeno valde convenit ut sic corrosio cohibeatur, & humor propulsetur, ab eis. Erosionem etiam impediunt trochisci ex Musa, & Polydæ; de quibus in Cura carbunculi ad similem effectum mentionem fecimus: & si fortasse hæc non adsint auxilia, confert valde arsenici ʒ. j. unguenti albi ʒ. j. mixta & cum elychniis fiat applicatio. Tandem ultimum, & efficacissimum remedium, si omnia hucusque relata non sufficiant est cauterium ignis quo brevius corrosio inhibetur, & pùtrilaginosa excrementa absumuntur.

De Herpetis miliaris medela solum restat ut dicamus, qui quia pro causa minus calidam bilem, & permutationem pituitæ seu serositatis respicere debet, purgatio cathartico seu expurganti auxilio fieri convenit, quod mixtas habeat vires, videlicet educendi bilem, nec non etiam, & pituitam, quale erit quod conficitur sic.

℞. Rhabarbari electi, agaric. trochisc. an. ʒ. ij. infundantur in aqua cichorij, vel sero lactis caprini, expressioni adde syrupi rosat. solut. ʒ. ij. ʒ. diaphœnic ʒ. ij. Misce: Quo & aliis similibus utrumque humorem respicientibus medelam incipientem, dum plenitudo non adfuerit, in quo casu à sanguinis missione auspicandum esse pro certo semper habui) etiam si Authores hujus auxilij mentionem non faciant, sic enim corpus melius ventilatur, & refrigeratur, fluidique magis humores redduntur, atque aptiores ad expurgationem, quam convenire tanquam reme-

dium evacuatorium attentæ ratione utriusque Herpetis satis demonstravimus: quod in causa fuit ut etiam si sanguinis missio competat in casibus dictis, ejus non meminerint Scriptores.

Sed quia affectus hic non ità acutus est sicut Herpes exedens, priusquam purgationem moliamus syrupis incidentibus, & attenuantibus aperientibusque utendum, mixtis cum atemperantibus, quos supra in cura alterius Herpetis numeravimus. Competunt autem pro pituita præparanda oximel simplex, Rhodosaccharum, syrupus acetosus simplex, adianti, bisantinus, de duabus, & quinque radicibus, & sic de aliis, cap. de œdemate copiosius explicandis.

Post hæc ad topica auxilia accedere opus erit in principio quidem conveniunt cataplasmata de arnoglossa cum pulvere balaustiorum, & gallarum viridium; cataplasmata de duobus granatis, succus etiam radicis lapathi acuti in aceto diù maceratæ cum dicto pulvere, lapathum enim molle & siccat, & acetum extinguit bilem. In augmento verò, & in statu ad discutiendum optimum est auxilium aqua sublimata, vel succus similis asperæ, aut oleum de genista extractum dum ea comburitur, vel gummi prunorum dissolutum in aceto acerrimo: Alij piscium salforum capita cremata in pulverem redigunt, vino diluunt, & aplicant: Alij lanam succidam urunt, & in pulverem redigunt, & cum aqua rosacea miscent, & linimentum constituunt, quod experientia testatur esse summopere proficuum.

Si tamen his factis affectio non cesset, iterum ad purgantia auxilia redire optimum est consilium: Et si iteratis his pustulæ non evanuerint, immò potius ulcera fiant, & corrosiones in cute, statim te conferes ad auxilia pro corrosione tradita supra, leviora tamen applicabis, quoniam in hac specie Herpetis cum humor minus calidus sit, & aquositas permixta, non ità intense serpit, nec corrodit sicut herpes exedens, in quo sæpè sæpius evenit ut ad ignis cauterium perveniamus.



DISPUTATIO III.

De œdemate, & aliis Tumoribus pituitosis qui ad ipsum referuntur.

D V B I V M P R I M V M.

Quid sit œdema, quæ ejus causa, & signa?



OSTUAM de Tumoribus qui à calidioribus humoribus procreantur, satis disputatum sit, jam occasio instat, ut de illis qui à frigidis succis oriuntur disceptare incipiamus, inter quos primò de œdemate (quod Græcis *oîdnu* vocatur) agemus, quia sæpè sæpius

prius ipsum præ manibus habemus, & quamplurimorum morborum symptoma est: Cæterum, omiſſis hujus nominis pluribus ſignificationibus quia nullius momenti ſunt, rigorose, & propriſſimè œdema dicitur, *Tumor quidem laxus atque indolens ex pituitoso humore in particulam aliquam influente exurgens, & faciliè tactui cedens.*

Quod totum ſignificavit Galenus 2. *Metb. cap. 2.* & 2. *ad Glaucon. cap. 3.* & 3. *de Symptom. Cauſis cap. 2.* Quapropter omnes Scriptores uno animo hanc amplectuntur definitionem ita ut verba relata ad amuſſim œdematis naturam expendant. Pro majori tamen ipsius intelligentia adverte, verum œdema ex pituita ſolum naturali cauſari, & ita in definitione intelligendum venit: nam ſi ipſa præternaturam reddatur, aut quia craſſior fiat per majorem frigiditatem, & mucilaginoſa; aut vitra dicatur; aut quia tenuior, & aquoſa vocetur; aut quia putreſcat, & in ſallam naturam vertatur; aut quia cum ipſa pituita naturali aliquis ex aliis tribus humoribus permiſceatur, tunc quidem aliæ componuntur ſpecies Tumorum, de quibus *Tractatu noſtro de doctrina generali Apoſtematis* ſatis egimus, dum omnium differentias numeravimus.

Qua etiam ratione indolens dicatur exquisitum œdema, & propter quid, ibi tetigimus, nempe quia ipſa humiditas nimia humoris pituitosi valde laxat partem, facitque ut faciliè cedat impulſui ipſius humoris, unde deſicit conditio illa celebris ad dolorem requiſita, videlicet ut ſubito & affatim fiat ſenſatio objecti moleſtantis, quod de exquisito œdemate intelligendum venit, id eſt, de eo quod fit à pituita naturali impermixta; etenim ſpurium œdema cum cauſam alterius conditionis includat, ab indolentia relegatur: Ex quo fit quòd illud quod exquisitè eſt tale, comprimentis faciliè cedat, & foveam faciat, quaſi ſemper eſſet compreſſum, ad differentiam Apoſtematis ventosi, in quo licet per compreſſionem fovea fiat, illico tamen evaneſcit ob facilem motum ventositatis, cum pituita naturali craſſa ſit ſecundum ſubſtantiam tardè movetur, & per conſequens fovea per conſiderabile tempus perſeverat à compreſſione facta ad quod etiam juvat laxitas, & mollities quas ſecum aſſert humor pituitosus.

Sed dicit aliquis non eſſe omninò certum œdema fieri ex pituita naturali; etenim pro contraria parte videtur Galenus inſinuàſſe ex ventositate fieri: ſic 2. *ad Glauconem cap. 3.* ubi dum naturam œdematis veri expendere conatur, in hæc prorumpit verba: *œdema autem vocamus tumorem mollem doloris expertem, quem ex pituitosa ſubſtantia, aut ſpiritu vaporoso fieri conſtat:* Ubi ſi ultima verbà perpenderit invenies non ſolum humorem pituitosum tanquam œdematis cauſam aſſignàſſe Galenum, verum ſubſtantiam, aut ſpiritum flatuoſum, videtur ergo malè nos cauſam aſſignàſſe.

Huic dubitationi reſpondet Fragoſo ibi Galenum de legitimo, & ſpurio œdemate locutum fuiſſe, & ſic nihil mirum ut ventositatem tanquam ejus cauſam aſſignaverit. Hæc tamen interpretatio eſt omninò contra Galeni mentem, & ex eo conſtat, quia per illa verba relata deſinit exquisitum œdema, ut ſatis demonſtrant primæ dictiones, ſcilicet *Tumorem mollem doloris expertem:* Etenim œdema ventosum, ſeu quodlibet ſpurium, nec molle eſt, neque omninò dolore caret. Ergo cum de hoc Tumore dicat fieri ex pi-

uita aut ex ſpiritu flatuoſo, manifeſtè conſtat ſolum de exquisito œdemate loquutum fuiſſe, non autem de ſpurio. Quapropter aliter reſpondendum præfata dubio mihi viſum eſt: nempe ibi tantum cauſam unicam denotare, videlicet ſubſtantiam pituitoſam: nam per ſpiritum vaporosum non intelligit Galenus cauſam diſtinctam, ſed ipſam pituitam, ſecundum quod ab ea neceſſariò ſpiritus vaporosus elevatur, ſeu ſubſtantia vaporosa. Quo fit ut hæc ſimul cum ipſa pituita unicam, & totam conſtituant cauſam pro œdemate conſiciendo.

Hinc jam ad œdematis cauſas propero quæ in triplici ſunt ſorte; alia dicitur Primitiva ſeu externa, alia Antecedens, & alia Conjuncta. Primæ fortis ſunt cauſa, percuffio, & ſimiles occaſiones externæ ex quibus concitari poteſt humor pituitosus, & decumbere in locum affectum, ibique Apoſtema œdematoſum cauſare; Verumtamen difficile apparet œdema excitari poſſe à cauſa aliqua primitiva, nam hujusmodi occaſiones externæ eatenus Tumorem concitant, quatenus medio dolore ita cruciatur pars, & debilis redditur, ut cætera omnes corporis partes præcipuè circumjacentes, ſeu omnes illæ cum quibus communionem habet locus affectus in ſubſidium patientis mittant humorem, ſeu materiam ſibi propriam qua in ſtatu naturali conſervantur: ſed in nullo eventu contingere poteſt, quòd mittant pituitoſam materiam; ergo hæc non poterit cauſare œdematoſum Apoſtema ratione cauſæ externæ ſeu primitivæ. Minor præfata ratiocinationis ſic convincitur: nam ubi adeſt materia facilioris motus, credendum eſt eam mittere Naturam in ſubſidium, dum aliqua inſtat occaſio; ſed ſanguis, & bilis, & ſpiritus ſunt facilioris motus, & aliàs ab his magis rectificatur quælibet pars affecta. Ergo cum pituita ob ejus lentorem, craſſitatem difficile fluat, manifeſtum videtur non hanc ſed potiùs illas ſubſtantias mittere Naturam, ſeu vicinæ partes in ſubſidium illius quæ à cauſa aliqua primitiva patitur, ac proinde œdematis cauſa procatartica nunquam erit aſſignanda.

Reſpondeo tamen frequentius cauſari phlegmonem & eryſipelas à cauſa externa ob rationem aſſignatam in argumento poſito, non tamen ea probat aliquando, tardè tamen Naturam non poſſe mittere in ſubſidium pituitoſam ſubſtantiam occaſione deſumpta ab exteriori cauſa: etenim contingere poteſt, ut corpus ſit valde pituitosum ut in eo qui malo corporis habitu corripitur, aut qui leucophlegmatia vexatur, quæ ſpecies hydroſis eſt. In quo eventu quia partes pituitoso ſucco abundant, potiùs quàm alio, mirum non eſt ſi ipſum mittant in locum aliquem dolentem ſeu contuſum ab aliqua cauſa primitiva; ergo cum tunc fiat deſluxus, œdema cauſabitur; non ergo repugnat quòd habeat cauſam primitivam eſſi non ita frequentem ac cæteri tumores calidi. Rurſus, cauſa Antecedens œdematis dicitur exuberantia humoris pituitosi in partem aliquam decurrentis. Conjuncta denique ipſa pituita in membro tumore obſeſſo jam incluſa, & accumulata, quas omnes communes eſſe cæteris aliis Tumoribus ex dictis ſatis conſtat: quapropter in his plus immerandum non eſt.

Ex dictis jam faciliè œdematis indicia patent, nempe laxitas in Tumore, & mollities quæ prementi digito cedit, & quaſi foveæ præſentiam

sentiam acquirit, neque amoto digito resilit, sed prementis vestigium retinet, ex Galeno. 14. *Metb. cap. 7. & de Tumoribus præternaturam cap. 11.* Dolor aut valde exiguus, ut aliqui volunt, aut nullus, ut certius arbitror: Calor nullus sentitur ex Avicenna, immò potius tactui frigiditas apparet; color vergens ad albedinem, seu subalbidus, ut Galenus testatur *libro de Tumoribus præternaturam c. 11.* ubi etiam haud quaquam pulsationem in hoc affectu reperiri statuit per hæc verba, *Verum neque pulsus est in hoc affectu* Quod non alia de causa fieri potest, nisi quia frigidus est, & sic usum augere non valet, unde arteriæ juxta œdema omninò naturalem dilatationis motum eliciunt, quapropter nulla sentitur pulsatio. Quæ omnis humoris pituitosi dominium testantur.

In calce tamen hujus dubitationis prælibare oportet œdematosum Tumorem, ut plurimum terminari per resolutionem, hoc est per insensibilem transpirationem, rarè per suppurationem, nisi pituitæ adjungatur aliquis humor calidus, ratione cujus fiat maturatio seu suppuratio quæ calorem tanquam efficiens exposcit, sæpissimè etiam terminari contingit per indurationem resolutâ parte tenui ipsius pituitæ, & crassâ terrestrique remanent. Quomodoque autem ejus fiat terminatio, tardè & lentè fit, ut clarè fati notificavit Hippocrates 1. *Prognosticor. textu. 30.* ubi sic scriptum reliquit, *œdemata diurniores faciunt indicationes.* Et Galenus in *Commentario* reddens rationem ait: *frigida tardè ad coctionem perduntur*: Quâ etiam ratione neque febrem excitant œdematosi Tumores, nec dum per suppurationem terminantur, laudabilem materiam elaborate queant; tempore tamen hyemis, & in senibus potius quàm in aliis temporibus, & ætatis oriri hæc mala, ratio & experimentum testantur.

DUBIVM II.

De œdematis Curatione.

PRO præsentis affectionis medela, & clariori intelligentia distinguere oportet œdemata quæ sequuntur alios morbos quales sunt phthisis, hydrops, malus corporis habitus, ab illis quæ per se ex influxu humoris pituitosi procreantur, qualibet alterius affectus seclusâ dependentiâ: nam illa rationem symptomatis participât, & nequaquam ex se indicant ablationem, sed solum earum medela per ablationem morborum à quibus dependent consequitur. Quapropter præcipua hæc erit curativa intentio, Galeno auctore 14. *Metb. cap. 4.* hæc sunt verba: *Atque in illis quidem* (idest in his qui aquâ inter cutè laborant, aut phthisi. sive malo corporis habitu) *œdema multitudinis ejus qua hominè premit est symptoma nullam seorsum propriam curationem requirens: satis enim in his erit, prosequitur Galenus, crura perfricare oxorrhodino* (hoc est oleo rosaceo, qui quarta pars acii sit mixta) *nec non etiam oleo, & sale aut predicto oxorrhodino cui salis aliquid sit additum, ut exinde materiæ confluxus impediatur, & humoris contenti in particula aliquid à sale resolvetur; ut sic etiam licet predicti Tumores non curentur, aliquantulum remittantur.* De his enim in

præsentem non inquirimus quâ ratione mederi debeant, nam certum est curari præcipuè per ablationem morborum à quibus dependent, solum ergo dubium procedit de œdematosi Apostematibus quæ per defluxum pituitæ sunt sine dependentiâ alterius morbi, ita ut nequam symptomatis rationem importent. Notantè dixi, procedere dubium de his quæ per defluxum pituitæ oriuntur, ad differentiam aliorum quæ per paulatinam congestionem accumulantiur, de quibus nec in præsentem disputamus, quia eorum medela rarè in usum venit, & quia nullam continet specialem difficultatem, sed tota continetur in resolutione materiæ contentæ in particula, & in corroboratione, & confortatione ipsius partiæ affectæ.

Cæterum, œdematis exquisiti quod per pituitæ naturalis defluxum fit sine alterius morbi dependentiâ. Curatio quatuor completur scopis more aliorum Tumorum, nempe per debitam victus institutionem, per pituitosi humoris præparationem, & evacuationem, quam materiam Antecedentem vocant. Rursus per humoris contenti in particula laborante providentiam, quæ Conjuncta causa vocatur, & tandem per accidentium ipsam œdema subsequentiur correctionem, seu summotionem. Prima igitur intentio perficitur debitâ & congruâ, sex rerum non naturalium administratione, ritè tamen & commodè hujusmodi res in hac affectione adhibebuntur, si ad caliditatem & siccitatem cum quadam attenuatione declinaverint: ergo calidum, & siccum ærem eligere & præparare conveniet per suffumigia, ex Tormentino, & levendula, (vulgò *ex pliego*). vinum sit album vel subrubrum modicè aquâ dilutum; panis verò probè coctus & ritè præparatus. Carnes sint aves montanæ, & potius assæ quàm elixæ. A leguminibus & fructibus oleribusque præsertim immaturis absteineat, & in fine mensæ utatur amygdalis & passulis, moderatè tamen vesci est opus: somnus brevis esse debet, & balneum atque omnia humectantia fugere tanquam valde nocentia oportet.

Secunda intentio completur per materiæ pituitosæ præparationem & evacuationem; hæc autem citra dubium per medicamentum expurgans phlegmagogum moliri debet ex consensu tum Antiquorum, tum etiam Modernorum; tamen observatum etiam sit, quòd si adfuerit plenitudo, hæc dematur priùs per sanguinis missionem, vix tamen in corpore plethorico creditur œdema legitimum evenire; etenim in eo non magis pituita quàm cæteri humores abundant, ac proinde vix sola & non aliis humoribus permixta in particula aliquam corporis plethorici influere potest. Quapropter venæ sectio in œdemate legitimo seu exquisito nequaquam ex usu esse videtur, secus in eo quod fit ex pituita cum permixtione sanguinis quod spurium seu illegitimum vocatur, & propriè affectio composita est quæ dicitur œdema phlegmonosum.

Cæterum, præparabitur humor pituitosus seu concoquetur, & scindetur, attenuabiturque syrupis sequentibus, Rhodosaccharo, oxymelite simplici, acetoso simplici rursus syrupo de succo endiviæ, de duabus radicibus, de hyssopo, de stæchade, quorum quantitas sit usque ad ℥. ij. additis aquis melissæ, salviæ, & betonicæ in eadem mensura pro qualibet dosi. Postquam verò jam visum fuerit materiam sufficienter esse præparatam

paratam, eam evacuabimus sequenti phlegmagogo.

℞. Agaric. trochiscati ʒ. j. fennæ Orientalis ʒ. ij. infundantur in aqua salviæ, vel betonicæ: cujus expressionis sumatur quantitas ʒ. iij. quibus addè diaphœnic. ʒ. ij. syrupi rosat. solutivi ʒ. ij. β. Misch.

Si tamen velimus infirmo solida propinare, auxilium expurgans sic parabitur.

℞. Electuarij Indi majoris ʒ. j. β. diaphœnic. ʒ. ij. diacatholici ʒ. iij. sacchari q. s. & fiant buccellæ.

Pilularum forma in hac affectione convenit, quæ sic erit.

℞. Pilular. de agaric & aggregativar. an. ʒ. β. Mische: & fiant pilulæ numero quinque aut sex. Conveniunt etiam pilulæ hermodactylorum, & fœtidarum ana ʒ. β. cum aqua betonicæ aut salviæ formentur vj. & deurentur. Quibus auxiliis, & similibus quos passim apud Authorès invenies ad pituitam expurgandam ritè, & commodè, antecedens materia oedematis evacuabitur, iteratis tamen si opus fuerit. Quo opere factò, ad causæ conjunctæ providentiam illicò proferabis.

Tertius scopus exposcit usum remediorum quæ topica communiter vocantur. Hæc autem in principio in vero oedemate erunt repercutientia, non ea quidem quæ nativa sua frigiditate, vehementer adstringendo repellunt, sed quæ non validè siccandi, & modicè digerendi vim habeant. In augmento verò competunt discutientia seu resolyventia paulò fortiora; at in statu, præsertim circa ejus finem, & statà jam fluxione, puris, & fortissimè resolyventibus, uti est necessarium. In declinatione denique ferè eisdem aut paulò intensioribus auxiliis absumentibus, & exsiccantibus uti debemus si ad terminationem per resolutionem inclinaverit oedema: si verò degeneret in abscessum de maturantibus, & reliquis quæ in curandis abscessibus proposita sunt, auxiliis curabitur; at si forsitan indurationis sint indicia, medelam per auxilia emollientia consequamur, quorum copiam infrà adducemus.

Porro, auxilia reprimentia siccandi simul, & digerendi facultate prædita quæ competunt in initio oedematis tribus formis adducuntur; quarum prima est Galeni 14. *Metb. cap. 4.* in quo expressè tenet aliquando sufficere pro medela oedematis spongiam imbutam aquâ & aceto, ità tamen mixtis ut acetum sit in minori quantitate, ità ut bibi possit, sic scriptum reliquit: *At si ex pituitoso humore in particulam influente oedema consistit, abundè aliquando satisfacit spongia, quæ ex aqua in qua sit aceti aliquid maduerit; porro hæc ita temperabuntur, ut vel bibi possint, vel ut non multum supra hoc aceti habeant.* Hoc enim auxilio existimat Galenus oedema aliquando curari, quod ex eo in principio convenit, quia acetum repercutit, scindit & attenuat, & siccitate quâ præditum est resolvit ipsam pituitam ex quâ prædictam Apostema oritur: Ad quod accedit spongiam vim habere exsiccandi etiam, & resolyvendi ex Avicenna, *fen 3. lib. 4. tract. 2. cap. 2.* dicente: *In substantia enim spongia sunt exsiccatio, & resolutio.*

Sed dices: ubi humor pituitosus oedematis causa existit naturâ suâ frigidus, & humidus, haudquaquam auxiliis similibus in qualitatibus

medelam consequi possumus, sed aqua frigida, & humida est; ergo pro pituitæ correctione, & repulsione optima non erit, cum potius eam crassiores reddat, & tardiores ad motum; malè ergo Galenus eam commendat, etsi mixtam cum aceto. Respondeo dubio proposito dicendo virtute aceti corrigi aquæ humiditatem, & reduci ad mediocritatem tale auxillium valens efficere repulsionem, attenuationem, & aliqualem resolutionem. Unde cum Galeno tutò in oedematis principio hoc auxilio uti possumus.

Secunda formula est Avicennæ *fen. 3. lib. 4. tract. 2. cap. 2.* ubi ait: utile esse auxilium in principio oedematis infundere ipsam spongiam in aqua nitri, & cineris cui aliquid aceti permiscere optimum erit; hoc enim auxilium comprobatur summopere proficere ex plurium Scribentium attestantium hoc idem ipso experimento.

Rhasis verò pro eodem tempore sequens auxilium habet.

℞. Aloës, myrrhæ, licij, acaciæ, glaucij, cyperi, croci Orientalis, boli Armen. an. partes æquales, pulveriscentur, & cum succo caulium hoc est brassicarum, & aceto misceantur, & fiat emplastrum.

Porro eadem remedia nuper memorata in hujus oedematosi tumoris incremento etiam benefaciunt, adjecto saltem illis aceto copiosiori, vel modico alumine in corporibus præsertim robustioribus, & duram cutem habentibus.

Rursus remedia quæ in vigore, & declinatione oedematis competunt, sunt sequentia. Spongia imbuta aquæ lixivio ex cinere ficus, ilicis, quæ species est quercus, & particula ad mota: utile etiam est auxillium quod sic describitur.

℞. Aluminis, sulphur myrrhæ, salis singul. pares portiones, misceantur hæc omnia cum oleo rosaceo, & aceto & fiat linimentum quod fortius exsiccatur præcedens; si tamen efficacius velis resolutionem tentare descriptio sequens id efficiet.

℞. Stercoris vaccini lb. β. oliba. styrac. musci arborum, calami aromar. spicæ, absinthij, singul. ʒ. β. confice omnia cum aceto, & decocto caulium, sive brassicarum, & fiat emplastrum. Et hæc quidem est formula curandi oedemata quæ per resolutionem terminantur.

Cæterum, si digestioni non cedat humor, & ad suppurationem inclinet, statim medicinis eam tentabimus, ne in indurationem degeneret: Porro inter ea quæ suppurationem moliantur unguentum diachylon non infirmam sedem habet: Ad id etiam confert magnoperè sequens emplastrum quod recipit malvam, brancam ursinam, hoc est herbam gigantem dictam, radicem althææ, radic. lilij, cæpas assas, limaces, fermentum, & semen lini, cocta & subacta, & cum axungia vel butyro mixta rediguntur in formam emplastri: Aliud ad idem summè efficax.

℞. Radic. malvar & lilior albor. an. ʒ. iij. rad bryon, & cucumber. amari, an. ʒ. ij. olei liliorum ʒ. vij. olei de castoreo ʒ. iij. vini ʒ. iij. fiat decoctio usque ad vini consumptionem, & terantur omnia, quibus addes hord. farinam, & fœnugr an. ʒ. ij. adipis anatis vel porcine, aliquid & fiat emplastrum.

Ubi verò jam ad maturationem pervenerit Apostema oedematofum, non expectatur donec sponte aperiatur, quoniam tardè admodum, vel fortasse

fortasse nunquam id contingeret, sed ferro candenti aut lanceolâ, aut caustico aliquo auxilio fiat apertio qua pus excernatur, & postea curatio procedet, sicut in quolibet ulcere, si verò in duritiem terminetur œdema, emollientibus curabitur, ut medullâ bubulâ, vel cervinâ, & similibus, de quibus copiosè dicemus dum scirrhi curationem aggrediemur.

Tandem quartam curativam intentionem assequemur si accidentibus quæ œdemata sequuntur succuramus, ut si accidat dolor, in primis sedandus est præsiidiis suprâ allatis, capite de Phlegmone: deinde si opus fuerit ventriculorum corroborare, id præstabit unguentum confortativum ventriculi, vel quod sic habetur.

℞. Olei absinth. & cotoneorum, an. ʒ. j. pulveris diarrhod. & corallorum, an. ʒ. ʒ. ceræ quod sufficiat, fiat linimentum. Ad cuius formam alia quamplurima confici possunt, à quorum descriptione abstinere brevitatis causâ; eodem modo jecur roborabitur si opus fuerit unguento santalino. Sed de his satis.

D V B I V M III.

De natura, causis, & signis Atheromatis, Steatomatis, & Meliceridis.

INter Apostemata pituitosa, seu phlegmaticos Abcessus, præcipuam vendicant sedem Atheromata, Steatomata, & Melicerides, quæ nomina sunt Græca, & unico nomine à Latinis significantur per ly *Lupiam* ex doctrina Alfarabij, & nostro Hispano idiomate vocantur *Lovanillos*. Et licet unico nomine significantur, aliqualem tamen inter se differentiam profitentur, ferèque eisdem curantur indicationibus juxta Cornelij Celsi doctrinam *lib. 7. cap. 6.* aientis *Ista omnia* (id est, relata Apostemata pituitosa) *mediocres differentias habent, ac neque periculo terrent, neque diverso genere curantur.* Unico etiam nomine significavit has tres species Apostematum pituitolorum Avicenna, *fen. 2. lib. 1. doctrina 1. cap. 5.* ubi eas vocavit *Alselha* dicens. *Alselha est Apostema frigidum glandosum, mobile de loco ad locum & habet cystin continentem ipsum*: Nominat autem *cystin* involucrum quoddam membranofum, intra quod continetur materia causans hujusmodi Apostemata, factum tamen ex eadem materia seu humore ex quo oriuntur, quod Hispano vocabulo dicitur *Cestilla*. Præter hæc alia etiam communia habent hæc Apostemata, nempe quod omnes supra cutem innascuntur, nihil carnis infra cutem existentis occupantia, nec cutis colorem naturalem variantia. Ex his ergo Atheroma, & Melicerides habent specialem locum determinatum in quo oriuntur, nempe in superficie capitis, omnes tamen tres species in cubiti junctura seu flexione oriri assuescunt. Quod totum Galenus manifestavit, *libro Introduct. sua Medicina cap. 6.* per sequentia verba: *Circa verò capitis exteriores partes consistunt Melicerides, & Atheroma.* Et infra procedit sic: *Juncturam cubiti occupant Melicerides, Atheroma, & Steatoma.* His enim verbis Galenus significare vult, quod in prædictis locis hujusmodi Apostemata frequentius apparent: nam certum judico cum

Cornelio Celfo, *lib. 7. cap. 7.* nullam esse repugnantiam cur in qualibet nostri corporis parte oriri non possint, cum nulla sit in qua repugnet defluxio humoris causantis prædicta, Apostemata.

Attamen ut clariùs constet in quo conveniant & in quo discrepent, cujuslibet speciei ex assignatis, naturam depingere non erit abs re, ut exinde earum signa seu indicia citiùs percalleamus. Atheroma ergo tumor est concolor, indolens, in membrana seu in nervosa tunica humorem lentum continens pulvi similem, id est, fatinæ aqua decoctæ, vulgo nostro *Puchas*. Interdum quoque in Atheromatibus simul cum humore pultaceo lapidea quædam duræque corpora, & alia tanquam sulphuris ramenta inveniuntur; sæpè etiam officula tanquam pili complicati occurrunt. Cæterum, tumor iste specie, & figurâ oblongus est, & aliquantulum sublatus, qui digitorum appressu ob humoris lentorem, & crassitudinem tardè retrocedit, & amotis digitis tardè quoque regreditur.

Meliceris autem Tumor est simili modo dolore carens sed rotundus, in quo etiam nervosa tunica, quam cystin appellant: in hac inclusus humor reperitur tenuis, & mellis substantiam repræsentans, unde & *Mellifavicum* Latine quibusdam dicitur, ab Atheromate differt figurâ, & humoris substantiâ; nam & illâ rotundior est, & hæc tenuior, ac proinde melleus hic tumor magis quàm Atheroma extenditur, pressusque digitis celerimè cedit, & amotis digitis pari celeritate ad pristinum redit situm.

Steatoma tumor etiam est præternaturam, concolor, & tactu lenis, in principio quidem exiguus, sed temporis progressu augetur, & amplior factus in quo humor sevo persimilis, membranula similiter inclusus subest. Hoc à Meliceride, & Atheromate distinguitur duritie, nam plenum ac solidum est, tactuque renititur, aded ut digitis prementibus minimè cedat.

Causæ hujusmodi abcessuum pituitosorum sunt triplices: nempe primitivæ, ut casus, percussio, vitæ intemperantia, ac depravata vendi ratio; & similia: quæ omnia rarè causare valent hujuscemodi affectiones, ob crassitiem, & lentorem materiæ à qua oriuntur. Etenim sic hujusmodi humores difficilè moveri possunt in subsidium partis affectæ, cum potiùs sanguis, & spiritus citiùs, & aptiùs concitantur; materia verò pituitosorum abcessuum solum poterit moveri occasione desumptâ à causa primitiva in casu quo totum corpus, & sit valde refertum quod difficile apparet, licet physicè sit possibile, sed de hac re *dubio 1. hujus desputat.* satis diximus. Aliæ sunt causæ Antecedentes, humores, scilicet non naturales pituitosi parati ad fluxionem, vel actu fluentes, quorum naturam, & accidentia paulò suprâ expendimus dum differentias inter prædicta Apostemata œdematosa apposuimus. Denique aliæ sunt causæ Coniunctæ quæ sunt propriæ cujusque abcessus materiæ, in parte affecta contentæ, de quibus etiam suprâ dictum est. Interdum tamen ex prædictis materiæbus intra membranofum tegumentum producuntur lapides, arenæ, ligna, carbones, pili, muscæ, & id genus alia: solida corpora quæ ob nimiam retentionem prædictorum inutilium humorum generantur,

generantur, ex Galeno, libro de causis morbor. cap. 8.

Signa hujusmodi abscessuum pituitosorum ex eorum descriptionibus, & differentiis supra positis facileprehenduntur; facilius tamen ipsos distinguemus si expectemus apertionem, tunc equidem diversitas assignata inter prædictas substantias tres species causantes ad oculos apparebit, & sic circa cujuslibet naturæ cognitionem nullus poterit committi error, ut satis Galenus ostendit, lib. de Tumorib. præternaturam, cap. 5. Indicium autem ad cognoscendum ante apertionem quod velamento includantur, hoc est cysti seu pelliculæ, est mobilitas, & cutis separatio; quando verò fixæ sunt, id est, eodem in loco permanentes, & carni adhærentes, nullâ eas involvi membranulâ indicium est. Cæterum recentes, & tractabiles discuti seu resolvi possunt, duræ verò etiã inveteratæ nequaquam. Rubor autem dolor, & caloris incrementum ostendunt ipsos abscessus terminandos vel per suppurationem vel per fistulas, vel per Cancrum.

D V B I V M IV.

De medela Atheromatis, Steatomatis, & Meliceridis.

Indicatio horum pituitosorum abscessuum tribus absolvitur scopis, scilicet in victûs ordinatione, in causæ Antecedentis averfione seu evacuatione, & denique ultimus, & præcipuus in causæ conjunctæ providentia. Ex his victûs, ratio, & Antecedentis causæ evacuatio eadem ratione erunt ordinanda, ac in œdematosi Apostematis medela convenire prædicavimus, illinc igitur huc illa omnia transferre oportebit ne iterata legentium animos tædio feriant, & ut sic brevius Operi nostro, quod in principio promissimus finem imponamus.

Igitur quia præcipuus curantis scopus in his affectionibus circa causæ Conjunctæ providentiam versatur, idèd plus in eo immorandum decrevi, ut pote peculiarem exposcit diligentiam. Generalis ergo, & communis indicatio, in his tribus speciebus circa causam Conjunctam, est evacuatio illius membranosæ tunicæ (quam cystim vocant) simulque humoris in ea contenti; quod fiet, vel per resolutionem, vel per putredinis inclusionem, vel per apertionem, ex Galeni mente 14. Methodi, cap. 22. per sequentia verba: *Curatio vero eorum* (id est, pituitosorum Abscessuum quorum naturam depinxerat antea) *indicaciones sunt communes, nempe id quod continetur vel digerere, vel totum putre reddere; vel excidere*. Licet enim evacuatio per hæc tria moliri possit, non tamen in omnibus speciebus ea omnia exerceri competit; etenim Melicerides cum humorem cæteris contineant, tenuiorem, & subtiliorem cæteris speciebus, per quodlibet ex tribus assignatis modis à Galeno poterit evacuari quoad materiam Conjun-

Henriquez Lauree Medice Tom. I.

ctam in nervosa tunica contentam: Atheroma verò cum materiam, contineat crassiore valde, difficilèque resolvablem, solum medelam exposcit his quæ excidere vel putrefacere valeant, ut sic non solum materia educatur, verum & ipsa membranula humorem ambiens, aliter enim intrò remanet, humorque denuò accumulabitur, & affectio iterum infestabit. Denique Steatomata nec resolvi queunt, neque putrefieri ob materiæ à qua oriuntur tenuitatem, & lentorem. Quapropter in his solum habet locum educatio, quæ fit per scissionem, seu apertionem, ut sic citius humor qui aliis modis cedere non poterat, extrahatur. Quod totum lib. & capite supra citato nobis dedit scriptum Gelenus sic: *Aliqui igitur ejusmodi tumorum triplicem curationis rationem admittunt, quod scilicet ex tenuiori humore constet, ut meliceris. Aliqui duplicem tantum veluti Atheroma, quippe quod tum excidere, tum putrefacere licet, Steatoma verò solâ manuum operâ curatur, cum neque putrefieri possit, neque digeri*. Quibus verbis ita clarè doctrinam supra allatam firmat ut nulla sit opus enodatione, aut ponderatione.

Dices contra hanc doctrinam: difficile esse creditu materiam Steatomatis educi non posse per inductionem putredinis in ea; etenim licet crassa sit, & lenta, nihilominus humida est (aliter enim ad pituitosos abscessus non pertineret) & per consequens ex hac parte disposita ad putredinem; non ergo repugnabit putredo in ipsa per auxilia calida, & humida, præsertim cum non repugnet alia corpora crassiora, & duriora, qualia sunt ossa in nostro corpore putredinis terminum attingere, ut sæpè sæpius vidimus. Et utgentius corroboratur eadem pars, nam in reliquis speciebus ex communi consensu conveniunt auxilia putrefacientia, non solum humorem contentum, sed & involucrum seu cystin; ergo similiter in Steatmate. Consequentia probatur: nam ibi non obstat putredini durities seu crassities involucro, ergo neque hic obstat humoris lentor & crassities, & idem de tunica seu cystidi censendum erit.

Respondeo facile, veram semper & à calumnia immunem esse Galeni sententiam, etenim ibi non vult significare causam Steatomatis absolute putrefieri non posse, sed tardè & difficulter ob ejus crassitiem & lentorem: quapropter facilius, & immolestius judicat aliam viam educendi prædictum humorem tentare, qualis est ea quæ per scissionem seu apertionem fit. Hanc enim securiorem esse, atque breviorẽ viam medicatricem judico non solum in Steatmate, verum & in Atheromate, & Meliceride. Quod significavit Avicenna *fen. 3. lib. 4. tract. 2. cap. 6*. Et ratio est efficax: nam in omnibus his affectionibus non solum extractionem causæ à qua oriuntur intendere debemus, verum etiam illius involucri ambientis ipsum humorem; atque tale involucrum difficulter valde putrefit ob eandem rationem quam de causa Steomatis adduximus, & difficilè adhuc resolutioni cedere poterit. Ergo in his omnibus facilius medelam consequimur, si ipsam ad manuum opera reducamus per apertionem seu scissionem statim molendam, quæ fiat instar folij

B b myrtini

myrteni ne vena, vel arteria vel nervus lædatur si subsit nisi in inguinibus, & aliis, quibus in locis sectio transversim est facienda ob cutis reduplicationem in motu earum partium. Estque interea cystis, hoc est vesica Tumorem pulti, vel fevo, vel melli similem continens omnino extrahenda, ne reviviscat affectio, iterumque aliqua ex assignatis substantiis adimpleatur; sanguis verò qui cystin detrahendo defluet, spongia oxycrato imbuta sistendus, vel ovi albumine cum pulveribus adstringentibus, semper quoque in hujusmodi operationibus anodynis utendum auxiliis, veluti albumine ovi cum rosaceo; si verò aliqua cysteos sive tunica pars, aut ipsa tota remanserit in loco, erodentibus medicamentis erit absumenda, ut unguento Aegyptiaco, aut pulvere mercurij: Vel si mavis ad putrefacientia auxilia te conferes, cuius generis est butyrum vaccinum cum oleo permixtum, & alia similia.

Prælibare tamen unum erit in scissionibus scilicet ut paulatim fiant, solùmque cutem superiorem transcendant, non autem cystin turgent, & scindant, ne fortè humore contento extracto, involucrium intrò remaneat, & iterum eandem gignat affectionem; vel saltem corrodentibus, aut putredinem inducentibus auxiliis opus habeat ut extrahatur non sine ægri maximo incommodo, & cruciatibus. Hoc tamen præcipuè locum habet in Atheromate, & Meliceride, in quibus humor facilius dilabitur quàm in Steatomate; in hac enim specie quia humor contentus, valde crassus, & lentus est, nihil inconvenit quominus involucrium scindatur; siquidem humor non dilabitur, sed potius consistit, quo fit ut simul cum tunica digitis extirpari, & evelli possit, radicisque auferri.

Quando etiam Tumorem, & Abscessum incidere non est tutum ob venas, & arterias, vel nervos, ad medicamenta quoque acria, & caustica est accedendum, Calcem itaque vivam capito, eamque cum sapone miscero, & apponito; aut lixivium de Vigo quod *Capitellum* vocant, vel causticum aliquod ex prædictis *capite de Carbunculo*, applicato: Denique conjungere, & agglutinare partes divisas erit opus, aut penicillis cavitatem implere, servareque eandem viam curatricem quam in cujuslibet ulceris medela servamus. Si tamen æger nullo ex his dictis auxiliis obedire aptus sit, cauterium imponere erit necessarium in partibus circumstantibus ipsum abscessum, ut exinde in majorem magnitudinem non attollatur, & extendatur.

D V B I V M V.

De Ventoso Apostemate.

TEmpestivum jam est de Ventoso Apostemate differere, quod licet ad œdema reducat, quis maximè, & frequenter ex pituitosa materia ventositas seu vapor elevatur; nihilominus diversam exposcit medicationem. Est ergo Apostema ventosum infla-

tio quædam, quæ ex flatuoso spiritu collecto nascitur, aliàs sub cute, aliàs sub membranis quæ ossa circumdant, ex Galeno 14. *Methodi, capite 7.* Huic etiam doctrinæ consentit Avicenna *fen. 1. lib. 1. doctrina 1. cap. 5.* dum affirmat Apostema ventosum id esse in quo collecta, & adunata est ventositas non solum elevans, & distendens partem, sed cum tensione aliqua citra disseminationem in substantia membri patientis. Tamen circa hanc definitionem animadversione dignum est id quod adducit Galenus 2. *ad Glaucon. cap. 6.* nempe non quamlibet flatulentam substantiam efficere natam esse Apostema ventosum, sed crassam, & grossam. Sic reliquit scriptum dum de causa Apostematis ventosi sermonem instituit. *Vocatur autem non solum flatuosus, sed etiam flatus hujusmodi spiritus crassus, & vaporosus existens non secundum substantiam ethereus, neque tenuis:* His enim verbis Galenus significare vult non quamlibet ventositatem Apostema ventosum efficere, sed illam tantum quæ crassa sit secundum substantiam, valdeque spatium replere, distendereque partem, ac ipsam in majorem magnitudinem elavare.

Rursus, ventositas hæc debet esse coadunata, & aggregata in uno loco (sive sub cute, sive sub panniculis cooperientibus ossa, sive inter musculos) ut constituat ventosum Apostema, etenim sic diversificatur à ventositate existente in intestinis, & in toto ventre; nam in his quia non est collecta, neque coadunata in uno loco, sed potius divagatur, non constituit hujusmodi Apostema: oportet ergo ut coadunetur in unico loco, ut prædicta omnia accidentia pariat quæ in definitione sunt allata, & sigillatim sunt enodanda. Similiter tensio debet esse in Apostemate ventoso, ut sic distinguatur ab œdematoso tumore in quo nulla est tensio, nec renitentia, sed potius tangenti facillè cedit, ob causæ molliorem, ut supra tetigimus. Denique illa ultima verba, videlicet, *citra disseminationem in substantia membri patientis*, involutè significant materiam flatuosam hujus Apostematis effectricem crassam debere esse, ut sic non disseminetur per substantiam membri, & facillè moveatur; tenuis enim cum sit hoc sine dubio faciet, nec tensionem, nec Tumorem majorem præternaturam causare poterit, ex Avicenna *fen. 3. lib. 4. tract. 1. cap. 2.*

Dices, non videtur rationi consonum, ventositatem tenuem Apostema ventosum non posse causare; nam eò præcisè ex Galeno, & Avicenna, *locis supra citatis*, crassities in ventositate est necessaria, illa prædictum Apostema constituat, quia sic coadunatur in uno loco, & congregatur, & distendit partem, tensionemque efficit, & elevat ipsam atque attollit in majorem, & præternaturalem magnitudinem; sed etiam si tenuis sit ventositas, potest tamen in nimia quantitate, & multitudine congregari quæ sufficiens sit ut hæc omnia dicta constituat accidentia: Ergo etiam si tenuis sit, poterit causare Apostema ventosum. Minor præfata ratiocinationis in qua tota vis ejus consistit sic probatur. Si quid est quod impediatur congregationem hujus materiæ in uno loco

est ipsa tenuitas ipsiusmet materiæ ob quam facile per porositates, & angustissimas vias dilabitur, & extenditur per totam substantiam patientis membri: sed possibile est poros ita esse densos, ut quantumvis tenuis sit spiritus seu substantia vaporosa, ipsos penetrare non possit; ergo in tali eventu manebit coadunata, & congregata in uno membro, & præcipue si in nimia existat quantitate, (quod non repugnat) distendet, tensionemque atque in majorem, & præternaturalem magnitudinem partem affectam elevabit. Non ergo rectè dicimus dum tenacem substantiam vaporosam Apostematis ventosi causam esse non posse, affirmamus.

Respondeo tamen Galenum, & Avicennam dum causam Apostematis ventosi crassam constituerunt, non possibilitatem metaphysicam indagasse; sed id quod secundum communem ordinem evenire solet protulerunt. Quo fit ut licet metaphysicè casus sit possibilis, physicè tamen nunquam eveniet; ac proinde cum quotidianus, & physicus eventus præ manibus ad medelam habeatur, & de hoc tantum mentionem fecerunt antiquissimi nostri Protoparentes, & sic doctrina tradita juxta eorum mentem venit intelligenda, & interpretanda.

Sed properemus ad causas quæ more aliorum Tumorum triplices existunt, nempe externæ seu occasionales, antecedentes, & conjunctæ. Externa causa dicitur casus, confusio, & percussio, ex quibus dolor frequenter excitatur, in cujus subsidium partes mittunt substantiam æream seu ventosam sæpè sæpius: nec non etiam inter occasiones seu causas externas enumeratur cibus qui in se contineat ventositatem ex propria natura. Causa Antecedens sumitur ex duplici capite, nempe ex materia crassa, & grossa, & ex efficiente causa quæ apta sit ad elevationem substantiæ vaporosæ, & non sufficiat pro ejus resolutione: efficiens autem erit calor noster natus mediocris in activitate, hoc est nec nimis debilis, nec nimis intensus; nam ille vapores elevare non valet, iste verò illos resolvit, medius verò seu mediocris sufficiens est ad elevationem, non tamen ad resolutionem. Hujus eventus similitudinem posuit Galenus in libro Hippocratis de ratione vict. commentario 4. parte 4. & lib. 6. morbis, & symptomate, per sequentia verba: *Quemadmodum in exterminis rebus videmus ut frigidissima constitutio maxime spirante boreâ aërem sereniorum reddit, ac calidissima per æstatem constitutio ambientem nos aërem purum efficit, media verò constitutiones nebulas pariunt: ita in animantibus accidit: neque enim calor per extremam imbecillitatem; neque cum vehementes sunt ei vires, sed cum medium inter has affectiones obtinet, flatum gignere potest:* Quibus verbis ad amissam Galenus nostram doctrinam confirmavit, ita ut nulla sit opus enodatione pro eorum intelligentia. Unde deducimus crassos humores causam esse antecedentem materialem, calorem verò medicentem in activitate esse alteram causam efficientem, ita ut ex utraque causa una antecedens oriatur immediata, & proxima, nempe ventositas, quæ parata est ut dilabatur seu moveatur in aliquam partem, ubi congesta, & coadunata Apostema

ventosum efficiet. Denique causa Conjuncta erit ventositas actu occupans membrum affectum, ipsúmque distendens.

Signa inflationum sunt tumor renitens tactui cum lucido quodam splendore, sonitus ut uter vel tympanum dum percutitur rediens; sed ad hæc persæpè sentitur flatus per totum corpus, modò hæc, modò illuc discurrens, ac dolorem extensivum patiens, unum tamen in hac re prælibare convenit, quòd quando flatuosa substantia per totum corpus huc illuc discurret cum anxietatibus, timenda summoperè est: quippe quod à materia aliqua venenosa attolli, & elevari verisimile est.

D V B I V M II.

De Apostematis Ventosi curatione.

EX dictis constat tria in Apostematis ventosi generatione inveniri, scilicet materiam humidam, caloris nativi imbecillitatem, & meatuum densitatem: quapropter in præsentia tota erit intentio in corroboratione caloris, attenuatione flatulentæ materiæ, & meatuum rarefactione seu apertione. Quod totum assequemur si tres servemus intentiones medicatrices, quarum prima in debita victus ratione ordinanda versabitur: Secunda in materiæ antecedentis aversione, & evacuatione: Tertia denique in flatulenti spiritus qui in particula collectus est, discussione, seu (ut aiunt) in materiæ Conjunctæ extirpatione consistit. Igitur ab initio vitæ institutio talis erit; abstinendum erit in primis ab omnibus crassis, viscosis, crudis, pituitosis, & flatuosis, cujusmodi sunt dulcia, substantia leguminum, fructus, rapum, castanea, & alia id genus quæ spiritum flatuosum procreant. Utendum autem calidis, & siccis, item attenuantibus, flatum discutientibus, ut est panis hordeaceus, qui aliquid salis, & cumini receperit. Laborantis deinde potus sit vinum album, carnes sint potius assæ quàm elixæ, & præsertim ex volatilibus; denique omnia fiant quemadmodum in cedematoso Apostemate competere docuimus.

Circa secundam intentionem assequendam, opus est distinguere, causam Antecedentem conflari tum ex crassa materia, & humida, tum ex calore nativo debili qui impotens est cohibere elevationem materiæ flatulentæ, nec eam consumere valens. Quo præ oculis habito, providentia in eo stabit ut materiam crassam vaporosam substantiam foventem evacuemus, & calorem nativum corroboremus: quod fiet procul dubio præparantibus, & purgantibus præsidiiis ex illis quæ pro evacuatione causæ Antecedentis cedematosi Apostematis competere docuimus: nec non clysteribus discutientibus flatus utemur. Siquidem materia peccans est ejusdem rationis, ablationem sui absque dubio exoptulans: atqui convenienter auferri nequit per sanguinis missionem, cum crassa sit, frigida, & cacochymiam causans

292 Disp. III. de Tumoribus Pituitosis.

fans in corpore; ergo solum per expurgationem demenda erit, ut sic deficiat causa fovens ipsam substantiam ventosam. Rursus corroboranda erit virtus coctrix, ut ex parte efficientis dispositio ad flatuosi tumoris generationem auferatur: fiet autem corroboratio bonis quibusdam speciebus aromaticis, confectionibus seu electuariis ad hoc destinatis, ut sunt diacuminum, diacalamentum, aromaticum rosatum quæ roborandi calorem nostrum nativum, attenuandi, & simul resolvendi omnia vi pollent: Idem opus præstat anisi seu fœniculi semen saccharo conditum, & post prandium sumptum: Sequens etiam confectio primatum obtinet pro intentione nostra.

℞ Anisi, carvi, dauci, cumini, baccarum lauri, tritorum, singul. ℥ j. liquirit. zingib. albi, an ℥ β garyophyllorum, piperis longi, seminis rutæ, ana ℥ ij. anisi saccharo incrustati, ℥ iij. sacchari tb β fiat pulvis. Cujus in fine prandij sumat laborans cochlearium unum; deinde verò vini generosi bibat parum: interim verò inungatur ventriculus oleo de spica, de ruta, & absinth. & aliis corroborantibus, & calefacientibus inspersis pulveribus cinnamomi, diatrionis, & mastichinis, aliisque similibus ad hujusmodi usum destinatis.

Tertia denique intentio completur per usum medicamentorum, quæ in substantia sint subtilia, vique polleant attenuandi, & resolvendi. Quod clarè satis Galenus significavit. 2 ad Glaucon cap. 6. per sequentia verba: *Quare hujusmodi affectus curatio unam communem habebit intentionem ad laxanda ea que adstricta sunt corpora, atque ad crassos spiritus extenuandos: Auxiliis enim calidis, & subtilis substantiæ quod densum est rarefacimus, & quod grossum est subtiliamus seu attenuamus, atque resolvimus ex eodem Galeno libro, & capite nuper citato.* Ratio est manifesta, nam ea quæ in substantia subtilia sunt vi pollent rarefaciendi, & porositates aperiendi, ut exinde melius ventosa substantia transpiret, & per insensibilem halitum evolare possit: Rursus calida cum sint substantiam ventosam, crassam, & grossam attenuant, ut sic facilius per porositates transpiret, & tumor ex toto evanescat, ad quod non sufficit ut hæc auxilla calida sint potentiâ, sed oportet ut actu calida applicentur, quoniam actu frigida si sint, cutem densant, & ventosam materiam crassiorem reddunt: ne ergo deterioris conditionis fiat hujus Apostematis causa, & membrum affectum, actu calida sunt applicanda remedia, & per multum tempus, ut scilicet demus locum resolutioni, & cutis rarefactioni, ita tamen debemus procedere, ut pro substantia crassiori cute densiori, & parte affecta interiori seu recondita auxiliis efficacioribus uti debeamus, & non ita efficacibus si vapor tenuior sit, cutis rara, & inflatio in superficialibus partibus.

His præactis, utile erit priusquam localia remedia applicemus, semper locum affectum fovere spongiâ novâ madefactâ in lixivio, cui (si efficaciores vires desideres) addere potes saponem, aut calcem vivam, & aceti nonnihil: Post factum verò ungemus locum oleis partibus subtilibus habentibus, qualia sunt ru-

taceum, laurinum, nardinum, nec non de spica, de nucibus, de euphorbo, de piperibus, & aliis similibus, ex Galeni placito 14. *Methodi, cap. 7.* Possumus etiam in oſtremo oleis incoquere anisum, fœniculum, cuminum, chamæmelum, anethum, melilotum, aut eorum semina quæ omnia simili pollent virtute ac olea supra dicta. Vel fiet decoctio in vino albo usque ad consumptionem tertiarum partium, & postea spongiâ aut filtro fovebimus locum affectum: Sacculi etiam conficiuntur, & supra affectam particulam imponuntur qui sic habent.

℞. Milij p. ij. salis p. β fol. artemisiæ M. ij. sem. fœnugr. cumini, carvi, an. ℥ j. fol. chamem. melil. rorismar. & stachados, ana p. j. totresiant omnia, & sacculi fiant qui actu calidi, & vino storati applicentur supra inflammationem.

Ad idem etiam conducit valde emplastrum quod tale est.

℞. Stercor. columb. & caprini, an. pug. j. pulver. cumini, carvi, & anisi, baccar. lauri, origani, rutæ sylvestris, floris rorismar. ana ℥. β aquæ vitæ ℥. ij. mellis q. s. ut in formam emplastris hæc omnia redigantur.

Unguenta etiam machinari possumus ex prædictis oleis, & pulveribus, & cera, quæ quia facillimo negotio componuntur, libenter omitto.

Tandem summopere proficit cucurbitula magna flamma supra inflationem affixa; siquidem resolvit vehementer, illicoque contingere solet ut evanescat inflatio per hujus remedij applicationem.

Si verò ex contusione accidat flatuosus Tumor, aliqua adstringentia seu styptica auxilia permiscere debemus cum resolutivis ne dolor ingens qui frequenter ex hac causa oritur sit occasio majoris inflationis, & forsan Phlegmonem excitandi in particula affecta.

Cæterum, si à principio vel in quolibet tempore hæc moliantur auxilia, ingens dolor ægrotum cruciaverit, illico permiscemus remedia aliqua mitigatoria seu anodyna, ut symptoma hoc evanescat, quod specialem exposcit providentiam, nec scilicet major attractio in locum affectum fiat, & inflatio deterioris naturæ reddatur. Tunc igitur anodyna auxilia permiscenda erunt, qualia sunt oleum chamem. rosaceum, violaceum, vel mica panis è furno recenter extracti, atque in oleo nardino, & rutaceo imbuta, & supra locum applicata: nec non etiam ad idem conducit emplastrum usuale laurinum.

Denique si flatuosus spiritus, qui inflationis est causa fumosus fuerit malus, corruptus, & à materia venenosa excitatus, cum dolor intolerabili vehementique calore per membra discurrens, nullum tutius ac melius consilium dari potest quam quod ubi in parte quapiam subsisterit, pars ipsa protinus infra supraque deligetur, ac in medio novaculâ, vel ferro candente tumor apiciatur, ita ut facile vapor ille venenosus egredi possit ex Guidonis sententia, *Tract. 2. de Apostemat. cap. proprio* postea elychinium vulnere apponatur imbutus in oleo, & aceto rosaceo cui immixtum sit aliquid boli armenici, & aloës: deinde verò vulnus carne erit implendum, & cicatrizandum: Quod ad eò convenire judicat Dionysius Daza, ut etiam si materia venenosa non

non sit, dummodò dictis auxiliis non cedat; hujusmodi incisio sit exercenda, tanquam ultimum auxilium pro ventositate propulsanda.

DVBIVM VII.

De Apostematis aquosi natura.

Cum aquosa seu serosa substantia species pituitæ, seu pituita tenuis communiter dicatur, & ab ea aquosum Apostema oriatur, Galenus nullum caput generale instituit in quo de aquoso Tumore disputaverit, eò quòd ejus quidditas involutè declarata existit sub œdematosi Apostematis natura: attamen licet etiam aquosum Apostema ad œdema reducat, nihilominus quia ab eo aliquantulum segregatur, speciale dubium cum omnibus Chirurgis recentioribus movere decrevi, ut exindè omnes œdematosi tumoris species ad unguem teneamus, & nostra disputatio completa evadat.

Igitur ut rem de qua agimus convenientius tangamus, à definitione incipiemus; est enim Apostema aquosum *Tumor mollis sine dolore, & renitentia factus ex seroso excremento pituita*, ubi licet cum œdemate conveniat in eo quòd sit mollis substantiæ, & sine dolore & renitentia, differt tamen ab eo ratione causæ, nempe quia fit ex sero qui pituita naturalis dicitur, œdema verò fit ex pituita natura impermixta: Rursus à ventoso Apostemate per prima verba segregatur; nam hoc, ut suprâ tetigimus, renitens est cum tensione, & dolore. Denique ex sero pituitæ dicitur factus à Dionysio Daza *lib. 2. de Apostematibus in partic. cap. proprio*, ut scilicet causa hujus Apostematis magis patefiat & non confundatur cum serosis excrementis reliquorum humorum, quæ quia sapiunt & redolent naturam cujuslibet humoris, cujus sunt serositates, à ratione causæ Apostematis aquosi relegantur.

Tandem in ultimo verbo definitionis non possum non dissidere à Doctrina citati Autoris, ex eo quòd proculdubio judicem in ipsa definitione redundare; etenim à primis Medicinæ rudimentis comparavi, serosam substantiam humoribus permixtam esse partem aqueam incommutabilem alimentorum quam radices plantarum sugunt priusquam ex terra & aqua fiat mixtum, quòd alimentum earum dicitur ab omnibus. Et cum aquosa hæc substantia elementalit sit, hinc evenit ut commutari nequeant; & permixta semper perseveret cum alimentis & humoribus usque dum facultas expultrix eam separet à substantia nutrimentali; & si forsitan in aliquo loco congregetur indebito, ibi constituit Apostema aquosum. Dixi (in loco indebito) ut constet quòd etiam in vtreteris, & vesicæ urinariæ, simul cum aqua potabili dilabatur, nihilominus his in locis non causat prædictum Apostema, utpote sunt à Natura dicata, ut hujusmodi excrementa propellantur extra corpus, ut scilicet liberum & incolume ab illorum actione perseveret. Ex quo planè constabit, quòd cum hæc serosa substantia una sit in omnibus humoribus, idest ejusdem naturæ, semper nata est efficere Apostema aquosum, si ea impermixta omninò ab humoribus, à Natura propellatur: nam si simul cum serositate aliquid humoris cum

ea permixti in locum affectum decumbat, haud dubium erit quin non efficiat aquosum Apostema, sed aliud juxta naturam humoris decumbentis. Porro, hæc serosam substantiam ex se unam esse in omnibus humoribus ex eo constat quòd plantarum radices eam sugant. Ergo si humorum permixtionem secludamus, semper eundem præstabit effectum, ac per consequens cujuslibet humoris sit serositas, valebit efficere verum Apostema aquosum quòd ad œdema reducat, eò quòd aquea cum sit ejus natura, necessariò pituitæ naturalis qualitates & naturam redoleat non alterius humoris: malè ergo in definitione ponitur pro causa *pituitæ serum*, cum potius absolutè ex serosa substantia debeat fieri aquosum Apostema, cujuslibet humoris ea sit, ut tota nostra ratiocinatio planè id convincit.

Prius tamen quàm ad hujus Apostematis causas properemus, dignum animadversione est in præsentem non esse disputationem de Apostematibus aquosis, quæ in aliquibus cavitatibus notatu dignis apparere solent, ut hydropsis species, quæ dicitur Ascites, & Hernia aquosa; sed de illis quæ inter os & panniculum, sive inter panniculum & carnem, sive inter hæc & cutem innascuntur; etenim licet utraque species Apostematum eadem gaudeant naturâ & essentiâ, quia tamen illa specialem exposcunt controversiam, & tractatum de particularibus Tumouribus qui denominationem sumunt à parte affecta, de quibus suo loco, idè in præsentiarum libenter eorum enodationem omitto, irâ ut præfens controversia de Tumouribus aquosis qui in communibus partibus generari possunt, sit intelligenda.

Horum verò Tumorum causæ externæ Antecedentes & Conjunctæ satis constabunt ex his quæ in cujuslibet Tumoris natura & causis enodandis dicta sunt, mutatis mutandis quoad causam ex qua fit diversitatem Speciales autem causæ sunt alteratrix facultas, frigidâ intemperie vitiatâ, & alimentorum pravitas ad aquositatem declinans: ex his hæc materiam exuberantem præstat, illa verò generat, & sibi aggregat ipsam serositate seu aquosam substantiam ex qua per paulatinam congestionem fit hujusmodi Apostema. Quando verò per defluxionem fit citra ullam distemperiem frigidam in parte in qua firmatur Tumor, fit eò solum quòd proclivis sit ad receptionem, sive quia debilis, sive quia rara nimis, sive quia dolorosa, & sic de aliis occasionibus incidendi in tumorem quas, ad longum satis *Tractatu nostro generali* numeravimus.

Signa ferè eadem sunt quæ & veri œdematis, scilicet mollities & laxitas sine dolore & renitentia, quin etiam cutis colorem omninò naturalem amittat, sonèrque non ut flatus, sed ut aqua potius, ad hæc aliquomodo splendere videtur, cum ad lucem quispiam ipsum intuetur. Quæ omnia aqueum seu serosum humorem pro causa sufficientissimè attestantur, ut cuique contemplanti fiet manifestum.

Hinc discis aquosum tumorem à majori oriri frigiditate quàm flatuosum, Galeno auctore *super librum 4. Aphorismo. Comment. 11.* Et ratio hujus est: nam humida substantia in flatuosum aërem transmutari nequit sine calore aliquo qui ad elevationem conducatur, licet insufficientis sit ad resolutionem, ut suprâ notavimus, secus autem contingit in aquosæ substantiæ generatione,

ut exinde quoad causam effectricem diversificatio constat in his duobus Apostematibus. Vnde etiam constabit aquosum Apostema frequentius oriri in partibus ex propria natura frigidis, ut in seroto, capite, juncturis, pedibus, testiculis, utpote ex propria temperie omnia dicta membra ad aquosi humoris generationem summopere conducant.

DVBIUM VIII.

De aquosi Apostematis medela.

Cum aquosi Tumores ex serosæ substantiæ fluxione excitentur, non aliâ certè curandi viâ & ratione saltem universali in illis profligandis utendum est, quàm ea quæ in aliis supra memoratis Tumoribus qui ex humorum in partem aliquam influxu procreantur perscrutandis à nobis supra explicata est. Duplex igitur curandi indicatio per initia in ejusmodi Tumoribus erit, nempe vacuandi quod influxit, & fluxionem inhibendi: hoc ad eam partem Medicinæ attinet quæ morbos præcævet, & præservatoria dicitur; illud verò ei Medicinæ parti subijcitur quæ morbos curat; etenim hæc præsentem affectum aufert, illa verò affectionem minantem non præsentem prohibet.

Porro ut geminum hunc scopum universalem assequamur, aliis quatuor particularibus intentionibus est opus; prima in debita victus institutione ordinanda; secunda in aquosi humoris per alvum expurgatione; tertia in ejusdem serosi recrementi per urinarios meatus educatione; quarta & ultima in evaporatione atque exsiccatione causæ Conjunctæ, seu humiditatis contentæ in particula laborante. Igitur à prima indicatione incipientes eam victus rationem observabimus quam in œdemate observandam esse diximus. Utatur igitur æger carnibus assis & coctis facilibus, pane salso biscocto, & cui pulvis anethi miscetur: potus sit exigua vini generosi non diluti quantitas; omnia aquosa tanquam nocentissima fugiat, ut sunt fructus, herbæ recentes, & pisces.

Cæterum, ut secundam intentionem medicatricem assequamur, per alvum aquosam materiam feliciter educamus, prius corpus præparabimus his auxiliiorum generibus quæ vi polleant meatus referandi, qualia sunt Syrupus ex quinque radicibus, de bisantiis, de adianto, oxymelite simplici, & aliis similibus quorum in curatione œdematis mentionem fecimus; quibus addere operæ pretium erit aquas petroselinæ, apij, graminis, aut alterius cujusvis radicis diureticiæ. Deinde præparatio factâ, illicò ad medicamentum expurgans confugere erit necesse, & postea ad ea genera auxiliiorum quæ per urinarios meatus serosam materiam educunt, auctore Galeno 7. *Aphor. comm. 55.* per hæc verba: *Curatio in his potest perfici medicamentis hydragogis aquas purgantibus, tum etiam diureticis urinas provocantibus.* En Galenum nos docentem, primò peccantem materiam in aquoso Apostemate per alvum educendam esse, postea verò per urinarios meatus, nam si è contrâ fecerimus totum corpus sine dubio obstruemus,

humoribus retractis versus cavitates. Ergo ut methodicè procedamus, prius purgationem moliemur per electuarium diaphœnicum, aut per electuarium Indum majus vel minus; necnon etiam per seminis certami medullam, aut emulsionem, factis scilicet ex his potionibus modo quo in cura œdematis insinuavimus, ubi formulas descripsimus quibus totò in his Tumoribus curandis uti etiam poterimus: Rursus etiam forma pillularis in hac affectione medicanda releganda non erit, idèoque totò in ea propinare possumus pillulas de hiera Galeni, de agarico; necnon etiam Alephanginas, quarum dosis usque ad ℞. iij. se extendit, & formari poterunt cum aqua salviæ, aut sceniculi modo supra relato.

A purgatione verò convenit usus auxiliiorum diureticorum per urinarios meatus, aquam eductentium, ut iterum Galenus testatur *lib. 2. ad Glaucon. cap. ultimo*, talia autem sunt Galeno auctore 5. *de simplic. medicament. facult. cap. 13.* Radices asparagi, petroselinæ, sceniculi, graminis, agrimonix, & plura alia quæ ibi à Galeno adducuntur, quorum decocta propinanda erunt summo mane in quantitate ℞. ℞. Ut exinde per urinam serositates & aquositates evacuentur, quibus eductis materiam foventem aquosum Apostema minorari certissimum est, sic enim totò ad causæ conjunctæ providentiam pergere possumus.

Quarta denique & ultima curativa intentio completur attenuantibus auxiliis, hoc est exsiccantibus & resolventibus, auctore Galeno 2. *de different. febr. cap. 11.* per hæc verba: *Omne extenuatum in aërem, & vaporem resolvitur.* Ergo ut serositas imbibita in particula laborante resolvatur, & in aëris naturam transmutetur, attenuantibus auxiliis uti debemus. Hoc ipsum idem Author significare voluit 2. *ad Glaucon. cap. ultimo*: ubi agens de resolutione seu evacuatione causæ Conjunctæ in aquoso Apostemate, ait: *Ea medicamenta ponemus quæ humiditatem dissolvant*: Unde idem met Author citato *ad Glaucon. & 14. Meth.* Vitur spongiâ novâ imbutâ in oxyrrhodino, & sale, & supra partem imposita, vel ipsa spongia lixivio perfusa; & ut intensius resolutionis effectus consequatur lixivio addemus alumen & sulphur; vel lixivium fiet ex cineribus samentorum, caulium ficus, ilicis, quercus, addito sale, vel aphonitro, vel sulphure. Alij addunt etiam lixivio aristoloch. rotundam, ammoniacum, bdellium, & ita fovent, prius tamen locum inungunt oleo anethino & rutaeco: sequens etiam linimentum magni erit momenti.

℞. Salis nitri ℥. x. piperis & baccar. lauri, ana. ℥. j. olei laurini ℥. vj. ceræ q. s. fiat linimentum: Summopere etiam prodest sequens medicamentum.

℞. Radic. ireos & cucumer. agrest. nucum cupres. ossis tibix hominis, cinerum rad. brassicæ ana. ℥. ij. olei anethini & ceræ quantum sufficiat ut fiat linimentum, quod tamen laudabilius est emplastrum de semine sinapis, ita ut nihil eo excellentius excogitari potest non solum pro materia conjuncta tumoris aquosi, sed & ventosi Apostematis: cujus emplastri meminuit Galenus 6. *de composit. medicament. capite*

capite secundo. Talis autem est ejus compositio.

℞ Seminis sinapi, seminis Urticæ, sulphur. Aristoloch. rotundæ, spumæ maris, bdellij. singulor. ʒ j. ammoniaci, olei vetustissimi, & ceræ an. ʒ ij. fiat emplastrum. Ad idem etiam conducit emplastrum Apostolorum.

Si tamen dictis non cedat tumor, consilium Galeni tenendum erit 14. *Meth. cap. 13.* nempe extrahere aquam scissione aut aperture facta, sic ait Galenus: *Quarum certè evacuationem vel medicamentis qua digerunt molimur, vel Chirurgiâ:* Interim tandem dum hæc & similia moliantur, ventriculum & hepar roburare intendere debemus, ut concoctricem virtutem reparemus, id autem fiet his auxiliorum generibus quibus supra usi sumus pro corroboratione dictarum partium: Et hæc pro hac disputatione sufficiant.



DISPUTATIO VI.

De Scirrho & aliis Tumoribus qui ad ipsam referuntur.

D V B I V M PRIMVM.

De Scirrhî natura, causis, & indicis.

ROSTRUM de Tumoribus præternaturam, qui à sanguine, bile, & pituita procreantur, hucusque dictum est: restat ultimò de illis agere Apostematibus, quæ ab influxu succi melancholici oriuntur, & communiter Scirrhî appellantur, de his ergo in præsentî erit disputatio, verum tamen quia humor melancholicus qui hujus mali causa existit, multiplex est naturalis scilicet & præternaturalis, & hujus sint plures species inferiùs adducendæ, quæ Tumores etiam diversos in specie constituunt, licet sub genere Scirrhî comprehendantur, de omnibus in hac disputatione agendum nobis est, artamen in præsentî dubio solum naturam, causas & indicia Scirrhî legitimi inquirimus.

Dicitur ergo Scirrhus verus *Tumor durus & indolens omninò tamen sine sensu, ab humore melancholico naturali, & minimè corruptio procreatus.* Hæc definitio est juxta Galeni mentem 2. de *Arte curativa ad Glaucon. cap. 5.* & 14. *Meth. cap. 9.* Tamen ut clariùs constet Scirrhî natura, singulas definitionis particulas sigillatim expendere non erit abs re. Et à prima incipientes, frigidus Tumor dicitur, quia ab humore frigido oritur, in quo convenit cum œdematosi. tumoribus quem à frigido etiam humore orti docuimus. Rursùs idem Galenus de *Tumoribus præternaturam cap. 7.* de Scirrho agens ipsum vocavit durum & indolentem. Idem tenet 6. de *morbis vulgaribus Comment. 1.*

parte 2. eò quòd huiuscemodi Apostemata non solum ab humore frigido oriuntur, sed etiam à crasso & lento, qui necessaridè tangenti duritiem repræsentat. In quo convenit cum his Tumoribus qui à melancholia præternaturali sive per putredinem, sive per ustionem procreantur, & diversas species constituunt, sub genereque Scirrhoso comprehenduntur, quia ab humore crasso melancholico præternaturali oriuntur, Hujus naturæ sunt Cancer, & Zaratàn, qui tactui duri apparent, etsi Scirrhî veri non sint,

Deinde indolentia deducitur ex sensûs privatione omnimoda, quam in exquisito Scirrho concessit Galenus 2. de *arte Curativa ad Glaucon. cap. 5.* verba perpendite: *Exquisitus Scirrhus est Tumor præter naturam sensu privatus durusque: non exquisitus verò non omninò insensibilis est, difficulter tamen omninò se sentit:* Quibus verbis non solum exquisito Scirrho sensûs carentiam manifestissimè condonavit, verum etiam per ipsam à non exquisito exquisitum Scirrhum sejunxit. Ergo cum sensus ad dolorem præsupponatur, ex Philosopho 2. *lib. de Anima,* planè convincitur quod si in Scirrho sensus non est, neque dolor esse poterit; sed qua ratione sensus ab eo absit, diximus *Tractatu nostro generali,* eò esse quia cum crassus valdè sit, omninò obstruit nervosam substantiam, ita ut per eam communicari non possit virtus à cerebro disseminata ad sensum & motum: ac proinde omninò insensibilis maneat pars Scirrho affecta.

Nec desuere qui existimârunt tantam obstructionem quæ omninò impediât Spiritus animalis communicationem impossibilem esse; aliàs enim cum huiusmodi humor æque obstruat arterias, ac nervos, sine dubio etiam impediret spiritus vitalis communicationem, & mortua diceretur pars Scirrhosa, quòd hucusque dictum non est, ac proinde aliâ viâ causam indolentiæ assignat, videlicet quia solutio continui quæ in Scirrho est, sive ab humore distendente oriatur, sive à distemperie, sensum & paulatim fit non subitò & affatim, quod ad dolorem est necessarium, ut illa verba Philosophi in doloris definitione id demonstrant, scilicet *Tristis & molesta sensatio, à sensibilibus in sensorium violenter agentibus,* ubi si illam particulam *violenter,* perpenderit, invenies sanè subitam mutationem affatim factam significare juxta omnium Philosophantium doctrinam: ergo (inquiunt isti) indolentia in Scirrho non ad defectum sensationis est reducenda.

Verumtamen hic Philosophandi modus mihi non placet, etenim in primis est certum Galenum sensisse omnimodam sensûs privationem esse in Scirrho: ergo cum ex hac infallibiliter deducatur indolentia, frustra recurrimus ad alias causas; ergo cum ex alia parte nulla alia causa possit assignari ipsius defectus sensûs præter obstructionem, hæc sola erit occasio indolentiæ. Præterea, dubium mihi non est quin subitò & affatim possit defluere in aliquam partem copia magna humoris melancholici; sed hæc subitò etiam & affatim solvet continuitatem mediâ distensione, non ergo defectu hujus conditionis deficere potest dolor in Scirrho.

Ad rationem verò pro contraria parte militantem diximus jam *cap. de Gangrana curatione*. Unde ex dictis colligere licebit legitimum Scirrhum adhuc in indolentia convenire cum de œdematoso Apostemate, ab eo tamen discrepare per defectum sensûs, utpote in œdemate talis non est.

Denique ultima verba definitionis allatæ, scilicet *ex melancholia naturali procedens* verè constituunt Scirrhum exquisitum in propria sua specie, ipsûmque segregant non solum ab aliis Apostematibus diversi generis, verum ab illis quæ sunt ejusdem generis, & Scirrhî, non exquisiti vocantur, seu Apostemata Scirrhusa; talia sunt quæ fiunt ab humore melancholico naturali, permixto tamen cum aliquo ex aliis humoribus. Et juxta hanc significationem tres species constituuntur, de quarum nominibus sæpè in superioribus egimus: In præsentiarum verò sufficiat scire quòd si sanguis cum melancholia permixtus apparet in minori tamen copia, talis affectio: Scirrhus Phlegmonosus vocatur spurius; si pituita, Scirrhus œdematosus, si bilis, Scirrhus Erysipelatosus.

Rursus, etiam fiunt Scirrhî non exquisiti ex melancholia præternaturali per putredinem, si-ve aduotionem taliter facta quæ atra bilis dicitur, ab eaque Cancrî, & alij Tumores Scirrhusi; qui *Zaratanes* vocantur, oriuntur, de quibus deinceps erit disputatio. Denique fiunt Scirrhî non exquisiti per indurationem aliorum Tumorum; ut contingit si in Erysipelatis medicatione nimis frigidis auxiliis utamur; aut in Phlegmonis medela, seu œdematis immoderatus fiat usus calidorum medicamentorum, per quæ tenues humoris partes resolvuntur crassioribus remanentibus, indurationemque adquirentibus à quibus omnibus exquisitus Scirrhus discriminatur, ex eo quòd à melancholia naturali factus semper sit, ultra alia accidentia quæ reliquos Tumores comitantur, ut infra latius dicemus.

Causæ Scirrhî ut & aliorum Tumorum præternaturam in triplici sunt differentia; primitiva scilicet, & est prava vivendi ratio crassum & melancholicum sanguinem generans, & coærvans. Antecedens ut succus melancholicus in corpore collectus, à liene malè attractus, & extra corpus minimè ut debebat expulsus: Conjuncta denique causa alia dicitur, videlicet humor ipse melancholicus in laborante particula impactus. At tamen in causæ primitivæ enumeratione hucusque defectuosè processimus; siquidem non enumeravimus casum aut percussionem, si-ve contusionem; etenim quemadmodum in superioribus affirmavimus œdematosa Apostemata ab ejusmodi causis procatarteticis oriri posse, sic non implicabit in scirrhis tumoribus quod ab eis procedant. Probatum: nam quemadmodum ibi non obstat lentor & crassities humoris pituitosi quominus moveatur in partem percussam aut contusam, v. g. humore pituitoso redundante in corpore; sic etiam non implicabit humorem melancholicum concitati in aliquam partem sic affectam, si eius sit nimia copia, & redundantia in nostro corpore, ac per consequens malè Authores (judicio nostro) procedunt, dummodò inter causas externas casum aut percussionem, aut dolorem non enumerent.

Præterea etiam judico vivendi rationem depravatam seu usum alimentorum conducentium ad humoris melancholici generationem, vel non esse causam primitivam Scirrhî, vel etiam esse causam primitivam cæterorum Apostematum quorum hucusque naturam expendimus. Probatum, nam eò præcisè in Scirrho primitiva causa dicitur quatenus per usum alimentorum melancholicorum redundans melancholia in corpore generatur quæ per defluxum in aliquod membrum scirrhusum causat affectum: sed hoc idem militat per usum alimentorum conducentium ad generationem aliorum humorum causantium reliqua Apostemata, Ergo indebita vivendi ratio non minus erit causa primitiva scirrhusi Apostematis quàm reliquorum, in quorum tractatione & examine Authores non fecerunt mentionem de ipsa, sine fundamento tamen, nam in utroque casu eadem militat ratio.

Ex dictis in explicatione definitionis signa seu indicia Scirrhum exquisitum demonstrantia quisque rimari poterit, quæ sunt durities, & renitentia; color fuscus, seu plumbeus, defectus sensûs & doloris. His accedunt communes notæ quæ in corpore melancholicum succum subsistere testantur, Verum tamen si non fuerit exquisitus Scirrhus sed spurius, hæc omnia non ita habentur ut constabit planius, dum speciatim de omnibus Tumoribus qui ad Scirrhum reducuntur agemus. Cæterum, exquisiti scirrhi si rectè tractentur, ut plurimum resolutione terminantur, nonnunquam indurati manent, & non raro in Cancrum degenerare aut transmutare assuescunt, quod valde periculosum est, ut constabit dum de prognosticis & Curatione Cancrorum agemus.

D V B I V M I I.

De medela Scirrhî legitimi.

Veri Scirrhî curandi methodus triplici clauditur intentione, quarum prima per debitam victus ordinationem completur. Secunda per materiæ antecedentis præparationem, & evacuationem. Tertia tandem & ultima per causæ Conjunctæ providentiam; Igitur à prima intentione incipientes, victus sit tenuis, & quodammodò attenuans, humidus & paululum calidus Alimenta ergo exhibere petit quæ optimum & laudabilem generant succum, seu sanguinem, vinum etiam consuetis propinetur substantiâ tenue & subtubellum, vel candidum atque odoratum: ova forbila, edat pullos, capos, gallinas, perdices, capreolos juvenes; necnon etiam vitulos lactantes: in quarum etiam carnum jusculis incoquere convenit spinacia, betas, borraginem, & buglossum fugere autem oportet carnem caprinam, hircinam, bubulam, taurinam, leporinam. Ex oleis verò brassicam. Omnia legumina præsertim lentes, vinum etiam crassum, rubrum, caesum veterem, omnia etiam salsa & acria, ut piper, sinapi, allia, cœpæ vitanda sunt: Denique ab ira, mœstitia, vehementi sollicitudine, excitatione immodica, vigiliisque abstinere est necessarium. Quæ omnia ad humoris melancholici generationem valde conferunt, propterea que vitanda, ne foveant Scirrhî materiam.

Secunda intentio materiæ Antecedentis evacuationem & purgationem præscribit. Pro cujus consecutione primò examinare erit necessarium, an aliqua suppressa evacuatio adfit, sive hæmorrhoidum, sive uteri. Quòd si ità accidat, vena secanda erit ex Galeni consilio 4. *Aphorismorum. comm. 1.* Similiter ubi totum corpus melancholico succo abundat, præcipit idem Author 3. *de locis affect. cap. 7.* phlebotomiam exercere.

Cæterum, melancholicum succum in corpore abundare significat color totius corporis ad nigredinem declinans, pustulæ etiam nigræ, aut alij melancholici morbi id valent significare: quod certius fiet si venâ scissâ crassus & niger fluat, tunc enim vacuatio fiet; at si sanguis melancholicus non appareat, ipsam cohibere opus erit, ex Galeni placito 3. *de locis affect. citato cap. 7.*

Rursus à venæ scissione si ea opus fuerit ad auxilia purgantia humorem melancholicum te conferes, suppositâ priùs præparatione hujusmodi humoris, juxta Galenum *libro quos & quando purgare oportet*; qui sic ait: *Si bilis atra supra modum excreverit, aliquid quod bilem nigram detrahbat exhibemus, ubi crassi & tenaces fuerint humores, quales suapte naturâ sunt pituita & nigra bilis, concoctionem expectabis*: Igitur cum humor à quo Scirrhus oritur sive exquisitus, sive non sit melancholia & pituita, pro cujuslibet expurgatione priùs auxilia præparantia propinabimus. Humorem ergo melancholicum præparabis sequenti medicamento.

℞ Syrup. borrag. & fumar. an. ʒ j. aqu. borrag. & lupulor. an. ʒ j. m. Vel.

℞ Syrup. epith. & lupulor. an. ʒ j. cum totidem aquarum earundem herbarum.

Iteratis his per spatium quinque vel sex dierum, expurgans medicamentum propinabis ex Galeno 14. *Meth. c. 9.*

℞ Seri caprini lb. ss. in quo infunde epith. ʒ iv. per noctem, manè coletur & addatur sacchari ʒ j. & sic bibatur, vel infusio fiat in aqua mulsâ. Vel infundes folior. fennæ ʒ iv. addito etiam saccharo; hoc autem auxilio iterato post spatium decem dierum mirificè succus melancholicus expurgatur. Vel.

℞ Sennæ Orientalis ʒ ij. rhabarbari optimi ʒ. jv. cinamomi gr. v. infundantur in ʒ. jv. seri caprini, cui adde syrapi violar. ʒ j. & fiat potio. Vel.

℞ Decoct. fennæ & epith. ʒ. iij. syrapi solutor. ʒ. iij. dialennæ & confect. Hamec. an. ʒ. ij. m. Pro causâ verò Scirrhi mixta, conficies mixta quoque auxilia, quorum copiam in superioribus disputationibus invenies, ubi sigillatim de purgantibus bilem & pituitam.

Tertia denique & ultima curandi ratio agit de localibus auxiliis pro causâ conjunctâ impactâ in membro patienti eductione deservientibus: ut autem hæc intentio adimpleatur, nec frigida auxilia sunt applicanda, nec merè resolventia: illa quidem sua frigiditate materiam melancholicam magis incrassant, & densant, ipsamque incapaciotem reddunt ad eductionem: ista verò partem melancholiæ tenuiorem resolvunt & crassam relinquunt, unde plus scirrhum indurant terrestriori factâ materiâ, Galeno auctore 2. *ad Glaucon. cap. 4.* Quare si rectè causâ Conjunctâ pro videre velimus in hujusmodi Tumoribus, topica auxilia erunt discutientia, simulque

emollientia, & incidentia, quibus miscebis eaque partem roborare queant; cum hac animadversione, ut emollientia nimis talia non sint, aliàs enim Tumor degenerabit in ulcus cancerosum, reddito præternaturam per putredinem humore melancholico.

Attamen antequam ad formulas topicorum auxiliorum deveniamus, unum tibi observandum erit, nempe non eadem auxilia resolventia & humectantia in omnibus Schirris competere, nam, quòd durities minor est, remissiora competunt medicamenta, dum verò nimia est; intensissima exposcit emollientia. Rursus Scirrhi durities tripliciter fit, vel per exsiccationem: & contingit per nimium usum resolutivorum in Phlegmone, resolutâ parte tenui, & relicta crassa, vel fit per congelationem ab applicatione nimis frigidorum quæ materiam incrassant, densant & indurant: Vel fit per repletionem humorum qui partem distendunt, venas & arterias. Cum ergo ab omnibus his causis fiat durities, cuilibet attendendum erit diversorum auxiliorum applicatione, ex Galeno 5. *de simplicium medic. facultat. cap. 5.* Et enim ait Galenus, quòd si per exsiccationem induratio fiat, calida & humida auxilia sint: Verba sunt: *Nam quod à siccitate induratum est humectari postulat.*

Prosequitur Galenus *cap. 7. libri citati.* quòd si induratio ex congelatione fiat, sive à nimio usu frigidorum auxiliorum, sive à pituita crassa; viscosa & lenta, tunc quidem maximè & principaliter emollientia medicamenta postulat quæ calida & sicca sunt, non humida: etenim quod congelatum est, calorem requirit ut liquefiat, & siccitatem ut absumat, & ad se trahat humiditatem superfluum, comitantem necessariò frigiditatem congelantem. Unde quemadmodum aqua & lutum ab intensa frigiditate induratur in hyeme, & à calore solis liquatur, & à siccitate ejus absumentur, ita per hæc auxilia, & humor liquatur: & humiditates resolvitur. Erunt tamen hujusmodi auxilia calida in secundo aut tertio gradu; & sicca in primo, ut verè emollire possint, aliàs si intensè calida sint & sicca, potiùs ad majorem indurationem conducere valebunt resolutione factâ in tenuiore parte materiæ, & crassa relicta.

His præactis, quoties viderimus duritiem non admodum esse intensam, sed remissam, medicamenta competant, quæ leniter & blandè leniant, qualia sunt oleum amygdalarum dulcium, chamæ lini, sesamini, aut oleum commune in quo ebullierit semen lini, radices althæ. scœnugræcum, aut malvar. radices. Eundem effectum præstat adeps porci sine sale, adeps gallinæ, butyrum; medulla bovina, thus, mucilagines scœnugræci, seminis lini. Ex compositis auxiliis in usu est quod sequitur.

℞ Butyri & olei sesamini, an. partes æquales, ceræ etiam pinguis, quod sufficiat, omnia liquentur & misceantur donec formam linimenti adquirent: Aliud efficacius.

℞ Adipis porcine recentis, vel antiqui (si magis velis resolvere) ʒ iij. ceræ ʒ j. ss. liquentur, & postea adde pulver. cerussæ litarg. ana. ʒ iij. & incorporentur.

Galenus verò 14. *Meth. cap. 5.* sequenti utitur auxilio.

℞ Radi. malv. bene coctarum & per, seraceum extractarum lib. j. axung. porcip. aut gallinæ

ceræ ꝑ. vi. ceræ parum, liquentur, & misceantur donec formam habeant limentum.

Si tamen velis efficaciora auxilia applicare confugito ad ea quæ sequuntur.

℞ Olei laur. & aneth. an. ꝑ. ij. adipis porcini. antiq. ꝑ. iij. ceræ q. s. liquentur & fiat unguentum.

Idem præstat oleum irinum, aut oleum commune, in quo incoquantur summitates anethi, vel radices liliorum alborum, sevim, etiam caprinum, vel adeps anserinus, quibus permixtis, & cerâ additâ conficere poterimus varia limenta.

Si tamen velimus intensius mollire, & resolvere, quod necessarium erit dum maxima sit durities, & natura ægri robusta admodum, ad sequentia auxilia properabimus. Primum tale est.

℞ Bdellij, ammoniaci, galbani, singul. ꝑ. s. terantur in mortario cum oleo lilior. aut de semine lini. Deinde sume mucilag. scœnugr. & femin. lin an ꝑ. vi. ficuum num viij. terantur omnia simul donec in unum coëant & fiat emplastrum.

Galenus verò 14. *Method.* summoperè laudat corticem radicis althæ cum anserino, vel gallinaceo adipe coctam, & cum eo contusam, atque in cataplasmatum formam redactam. Idem Author 2. *ad Glaucon. capite proprio* sermonem instituit de Cercilij puero in crure habente durum tumorem, seu Scirrhum legitimum, quod ortum habuit ex Erysiplæte nimis infrigidato atque adstricto, sic enim medelam instituit. Primò quidem femur oleo sabino perfundit, cujus loco hodie utimur oleo jasminorum: post hæc ammoniaci pinguis aceto acerrimo dissoluto circumlinat totum femur. Verùm in tendonibus & ligamentis Scirrhus obductis aceto ex Galeni consilio 14. *Meth. & 2. ad Glaucon.* ad hunc modum utendum est. Lapis igne candens aceto acerrimo extingendus est, deinde ascendente vapore in eo pars affecta commoveri debet, & vaporem ascendentem recipiat, à quo Scirrhus resolvatur, atque exinde rursus medicamen quod emolliat imponendum. Quo curationis modo ita quam plurimi ad pristinam sanitatem fuerunt restituti, aded ut multis ferè (inquit Galenus 2. *ad Glaucon.*) magicum opus videretur. Cæterum, jubet Galenus acetum in vapore esse applicandum quandoquæ patiuntur nervi, aut ligamenta, utpote frigidum omne inimicum est ipsi. Hippocrate auctore in *Aphoristicis sententiis*. Attamen etiam in valde duris Tumoribus in aliis partibus poëreatis acetum, sive in forma vaporis, sive cum ammoniaci, aut altero ex gummiis dissoluto non statim à principio erit imponendum; nec sæpè sæpius, nec per multum tempus, sed per intervalla, & per parvum temporis spatium, & postquam emollientibus auxiliis per spatium octo dierum usi fuerimus. Quod totum nobis scriptum reliquit Galenus 14. *Meth. cap. 5. sic: Ob id igitur, neque sæpè, nec inter initia, nec longo tempore medicamentis, qua ex aceto componuntur ad ligamenta, & tendones est utendum: Acetum enim penetrat, incidit, atque extenuat humores duritiem causantes, ipsòsque reddit aptos ad resolutionem. Quòd si humectantia non præcedant, atque emollientia, potius indurationem efficiet. Postquam verò vapores receperit, laborans particula ungetur, aut perfundatur oleo sabino, aut jasminorum, aut oleo communi in quo incoctæ sint radices malv.*

aut scœnugræcum; & denique rursus imponenda emollientia dicta, & resolventia auxilia.

Denique si suppurari inceperit aliqua Scirrhi pars, nunquam suppurationem juvabimus, sed intendemus, aut resolutionem partis quæ ad suppurationem devenit, aut ipsam indurabimus; aliàs enim si auxiliis utamur suppurantibus, & partem scindamus, putrefactionem augebimus, & cancerum ulceratum ex Scirrhus efficiemus, humore melancholico irritato per prædicta auxilia, ac proinde, cum majora & minantia mala vitare debeamus, semper suppurationem & apertionem fugere debemus.

D V B I V M III.

De natura Cancri.

Cancer apud Græcos *καρκίνωμα* dicitur, estque nomen commune importans duo morborum genera, nempe & Cancrum sine ulcere quod *Cancrosum Apostema* dicitur sive evidens sit, id est in externis corporis partibus appatens; sive occultus aut absconditus, id est in interioribus partibus affixus: Deinde cancerum etiam ulceratum significat ab ulcere quod humor melancholicus valde adustus & mordax causat in parte affecta: Cæterum in præsentem non est nostrum dispartire de Cancro ulcerato, siquidem in tractatu de *Ulcerebus* specialem sedem habet; nec de Cancro non ulcerato occulto, utpote manibus tractari non potest. Solum ergo in præsentem agimus de Cancro non ulcerato evidenti, & manifesto quod in nostra vulgata vocatur *Zaratan*, etiam si à Galeno aliquando hujusmodi Cancer occultus dicatur.

Igitur Cancer de quo hîc agitur, est *Tumor durus inæqualis, rotundus, venosus, id est habens in circuitu venas turgidas & eminentes, livescens, sive fascus, calidus, sed non aded ut inflammationes, subito accrescens ægros maximè fatigans, & perpetuò ferè dolore affligens.* Hanc autem appellationem huic morbo indiderunt tam Græci quàm Latini à Cancro aquatico animali, quoniam circa hunc implentur, & intenduntur venæ cancerorum pedibus persimiles: nonnulli verò inde sic nuncuparunt, quòd difficile ab his partibus quas obsedit evellatur, quemadmodum Cancer aquaticum animal; hoc enim loco quem semel apprehenderit, pertinaciter hæret. Præterquam quòd hujusmodi Tumor Cancri animalis colorem representat, nempe subnigrum; initio verò tam exiguus & parvus est ut sensum latere possit, vix enim dum adhuc incipit, ciceris aut fabæ magnitudinem æquat, postea tamen aded increfcit in magnitudine & accidentibus, ut neminem latere possit. Et licet in qualibet nostri corporis parte generari possit, frequentius tamen & communiter in mammis præcipuè mulierum, & aliis partibus raræ contexturæ & substantiæ, in quibus humor melancholicus adustus infiltratur, & ita tenaciter hæret, ut difficilis aut impossibilis sit extractio aut extirpatio. Quod expressè testatur Galenus 2. *ad Glaucon. c. 20.*

Potè tamen tam in vitis, quàm in mulieribus sæpè sæpius evenit; in illis, quia sanguis melancholicus qui per hæmorrhoides assuetus erat evacuari cohibeatur; in istis verò penes id quod

quod menstrua deficiant : hæc enim est frequens occasio cut fœminæ hoc malo corripantur, sanguis enim ille crassus atque melancholicus qui singulis mensibus evacuari debebat, decumbit in mammis ob earum cum utero communionem, ibique adurit ob prohibitam ventilationem quæ orta fuit ab obstructione quam causavit crassus & terrestris humor impactus & infiltratus summoperè in porositatebus mammarum.

Verumtamen ut clariùs constet de Cancri definitione, sciendum est à cæteris Tumoribus duris separari penes id quod in ipso sit ipsa durities inæqualis, taliter quod tactui appareat, secus in aliis, præcipuè verò separatur à Scirrho, quia huiusmodi Tumor nec calidus, nec dolorosus est, secus Cancer ob calorem quem acquirit causa per adustionem, in quo etiam satis discrimina- tur; nam Scirrhii causa humor melancholicus naturalis est, quin recipiat aliquam alterationem præternaturam, aliàs si adurit & putrescit, ut sæpè contingere solet, in Cancrum degenerat.

Circa causas dubium non est esse in triplici sorte quemadmodum de reliquis Tumoribus pronuntiavimus, Primitiva scilicet seu externa, Antecedens & Conjuncta. Externa ab omnibus Scriptoribus dicitur usus alimentorum melancholicorum, nec non etiam Tumor seu ulcus quod aliter quam conveniebat curatum, sed reverà prima causa verè primitiva non est, cum potiùs melancholicum alimentum, seu atrabilarium conducatur ad generationem humoris qui causa interna antecedens dicitur immediatè effectiva Cancri: ponitur tamen & adducitur quatenus remotè & occasionaliter id præstat. Deinde causa Antecedens Cancri dicitur humor melancholicus adustus, seu alter humor qui per adustionem naturam acquirat melancholiæ; per quod à Scirrho differre diximus, utpote Tumor hic pro causa naturalem melancholiam habet; si verò melancholicus aut alter qui aduratur humor, aut putrescat valde acrem aut mordacem acquirat qualitatem, Cancrum ulceratum constituit, de quo in præsentem non disputamus, sed de non ulcerato Cancro habente pro causa humorem melancholicum adustum aut putrefactum cum mediocri acredine aut mordacitate. Denique causa Conjuncta erit huiusmodi humor qui jam partem occupat affectam, impactusque est, & in ipsa infiltratur.

Circa signa certum est, cancriformem Tumorem habere inæqualem duritiem quæ tactui facilè deprehenditur, colorem deinde præ se fert lividum circa locum Cancro affectum; aliqua quasi puncta sentiuntur, interdum etiam torpet, venas ostendit in circuitu tumentes, & elevatas, Canceri animalis pedum ad instar, si autem tangatur locus affectus aliis dolorem affert, retinens etiam est, Galeno authore 14. *Methodi*, ad hæc extraneam quamdam caliditatem habet.

Ex his constabit Cancrum gravem esse morbum atque periculosum, vixque propter succi crassitatem evanescere, utpote nec repelli, nec discutiri queat, nec totius corporis purgatione cedat; sed tanta est huius vitij malignitas ut miora contemnat remedia, vehementioribus verò vitatur valde atque exandescit. Quando autem sanguis ex quo ortum habet Cancer crassior fuerit, & nigrior, tantò deterior palsio est. Cancer autem jam confirmatus, atque inveteratus curationem non admittit, nisi radicibus extirpetur

aut per sectionem, aut per ustionem. Verumtamen qui in penitioribus partibus corporis innascuntur Cancri, talem medicationem non exposcunt, ut satis clamat Hippocrates 36. *Aphorism. textu 36.* per sequentia verba: *Cancros occultos omnes melius est non curare, curari enim citius perimunt: non curati verò longius tempus perdurant.*

His accedit experientia, ut Galenus in *commentario huius Aphorismi* testatur: nam ipse tenet breviori tempore homines ab hac vita discedere, quandoquidem medelam per sectionem aut ustionem tentarunt. Solum ergo illi Cancri curationem admittunt, eodem Galeno authore *loco citato*, qui in summa parte corporis hærent, huiusmodi namque Cancri radicibus evelluntur, faciliùsque in totum & undequaque extirpantur.

D V B I V M V L T I M V M.

De Cancri non ulcerati curatione.

CURATIO Cancri præcipuè recentis & non ulcerati triplici clauditur medicatrice curatione. Prima versabitur in prohibitione generationis humoris melancholici; secunda in evacuatione succi melancholici per totum corpus dispersi: Tertia denique & ultima in providentia humoris contenti in affecta particula quam Conjunctam causam vocant. Primam intentionem assequamur cæ vivendi ratione ad unguem instituta quam in Scirrhii veri medicatione observandam esse prædicavimus. Id autem inter cætera maximè, & præcipuè observandum erit, ut hoc malo correptis ea alimenta offerantur, quæ refrigerandi & humectandi vi polleant, cuiusmodi sunt cremor hordei, pisces saxatiles omnes generis, aves, ova sorbilia: si tamen nimia caliditas adfuerit in particula affecta, citra se rem tamen in toto corpore, lac bubulum à quo butyrum fuerit extractum, vel serum lactis turd offerri poterit: olera etiam competunt quæ eadem gaudent naturâ, veluti malva, borrago, cucurbita, atriplex, blitum, & similia.

Secunda intentio perficietur auxiliis præparantibus & evacuationibus humorem, seu melancholicum succum, seu atrabilarium capite de Scirrho superius memoratis; inter quæ in præsentem affectione principatum obtinet epithimum pondere ʒ. iv. in sero lactis, aut mulla exhibitum, ut Galenus præcipit *lib. 14. Methodi medendi cap. 9* Quantitas verò epithymi tertio die erit offerenda, ut melancholicus succus qui Cancro materiam præstat sensim & ex intervallo educatur, quandoquidem universum humorem evacuare pro unica vice vix apparet possibile: Eundem præstat effectum infusio facta ex pulvere fennæ, epith. & fumariz in sero caprino, aut in aqua mulla, ita ut pulveris quantitas sit usque ad ʒ. ʒ. & in fusione facta per tempus octo horarum percoletur & propinetur prædicti ferri lib. j.

Verumtamen, si hæc medicamenta leviter purgantia proficere non videantur, ad fortiora res confertes humore melancholico priùs præparato syrupo de epith. & de fumariz, de borragine aut lupulorum cum aquis stillatitiis earundem plantarum: Deinde verò præparatione factâ, auxilia fortiora

300 Disp. IV. de Tumor. Scirrhis, &c.

fortiora purgantia propinabimus, de quibus *cap. de Scirrhii medicatione* copiosius egimus. Inter hæc verò specialem prærogativam habet hiera Logad. pro hac affectione medicanda, si ipsius ζ ij. diluamus in aqua stillatitia fumarizæ. Quòd autem eductio humoris conveniat per purgantia auxilia docuit Galenus 14. *Meth. cap. 9.* dicens: *Communis igitur indicatio curationis est ut humorem, unde vitium est natum illicò vacuet;* Idem restatur *lib. 2. ad Glaucon. cap. 10. & lib. de purgantibus medicinis cap. 5.* Et innumeris locis quæ recenfere longa esset disputatio.

Porrò, licet pro causa antecedenti demenda hucusque de sanguinis missione mentionem non fecerimus, non tamen omninò releganda est, etenim dum abundantia signa in corpore relucet, præcipuè erit exercenda; ita Galenus 2. *ad Glaucon cap. 20* docuit per sequentia verba: *In Cancris verò non inutile est, ubi nihil prohibet, sanguinem mittere.* Itaque si plenitudo adsit in corpore viribus constantibus, vel si aliqua evacuatio consueta deficiat, præcipuè menstrualis, aut hæmorrhoidalibus tunc quidem illicò & absque intermissione ulla sanguinem mittes ex talo; licet non defuere qui etiam à primo mali initio fontanellam in cruribus aperiant, ut exinde succus melancholicus continuò evacuetur, & avertatur per regionem convenientem per quam alias naturaliter aduci debebat.

Tandem pro tertia & ultima intentione complenda operare debemus ad topica remedia quæ humorem impactum discutiant & partem confirmant. Ergo pro hac affectione medenda maximè conferunt ex simplicibus omnes intybi species, solanum, ceterac, agrimonia, coriandri succus, lentes in aceto coctæ. Et à facultate occulta eundem præstant affectum; cochlearum carnes elixæ, cancri fluviatiles, ranæ virides, humanum stercus, profunt quoque unguentum de plumbo, & plumbum ipsum quocunque modo administretur, & omnia metallica; unguentum pompholygos, unguentum de cancri fluviatilibus cum axungia gallinæ, & tuthia; oleum etiam de ranis optimum est, tum ad discutiendum, tum ad dolorem sedandum; est enim rana viridis mirabile hujus affectus antidotum.

Ex compositis verò auxiliis sequens optimum est.

\mathcal{L} . Succorum utriusque plantaginis, & symphyti minoris, singul. ζ . ij. β . olei rosac. compnac. ζ . iij. sub radiis solaribus simul omnia agitentur in mortario plumbeo donec ut gluten crassescant.

Sequens etiam medicamentum non est minoris momenti.

\mathcal{L} . Boli armen. terræ sigill. singul. ζ . j. cerussæ ζ . j. tuthiæ præpar. marchesitæ, ana ζ iij. pulveris cochlearum & ranarum virid. in clybano exsiccatum ζ . iij. lithargyri auri ζ ij. olei rosac. omphacini ζ iij. olei de ranis ζ j. β aceti ζ ij. albumina ovorum num ij. ceræ quantum sufficit, teantur omnia in mortario plumbeo ut fiat unguentum.

Aliud etiam non minùs efficax.

\mathcal{L} Litharg. & cerussæ lotor. tuthiæ præpar. singulor. ζ . j. plumbi in succo acetosæ, vel vino albo lori ζ ij. ol. rosac. ζ vi. aquæ rosar. ζ iij. aceti ζ j. albumina ovorum num ij. ceræ albæ ζ . j. β . camphoræ \mathcal{D} j. fiat unguentum.

Laudantur etiam passulæ dulces mundatæ, & cum foliis ratæ mixtæ & appositæ.

Verùm ad fuorem reprimendum, dolorémque leniendum sequens auxilium confert.

\mathcal{L} Olei rosac. ζ . iv. seminis papaver. albi ζ j. seminis hyoscyami & opij, ana ζ β gummi arab. ζ β ceræ modicum, misce & fiat unguentum.

Interim tandem dum hæc moliantur cor & hepar roborare erit necesse aliquo ex auxiliis quos in medela Carbunculi adduximus, à quibus nunc abstinemus.

Denique si omnibus his factis tumor deterioris naturæ reddatur, ipsum extirpare & evellere erit necesse, scissione factà usque ad ultimas radices; cum hac tamen animadversione, ut Cancer non sit juxta aliquam partem principem, neque nimis radicans, sed in parte aliqua distante, & superficiali; aliàs enim periculosissimum erit, aded ut manifestè ægri præ manibus ipsis periri videantur. Quapropter hoc auxilium nequaquam tentandum si non adsint conditiones prædictæ.

Et hæc pro Omnibus Tumoribus sufficiant dicta, in laudem & gloriam Omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nec non intermeratæ Virginis MARIÆ sine labe peccati originalis conceptæ, ac in utilitatem totius Reipublicæ Christianæ.

TRACTATUS III.

DE VLCERIBVS ; EORVM QVE
dignotione & curatione.

DISPVATIO I.

De Vlceribus in uniuersum.

CAPVT I.

De natura & quidditate Vlcis.



ICET apud Galenum *lib. 4. Meth.* & reliquos Antiquos tum Medicos, tum Chirurgo nomen ulcus usurpētur pro vulnere, itā ut nihil peculiare consideratione dignum importet ulcus supra vulnus, nisi temporis differentiam, ut inferius constabit clariū, nihilominus jam nostris temporibus communis & magis recepta opinio est, rationique magis consona quæ tenet ulcus & vulnus verè discriminari, quod ut clariū constet, necesse est ulceris definitionem in medium adducere: est enim ulcus *solutio continuitatis in parte carnosā purulenta*, id est in qua est pus aut sanies, Hanc definitionem ferè omnes noviter scribentes admittunt, existimantque iuxta mentem Avicennæ esse *lib. 1. fen. 4. cap. 28.* Galenus verò *4. Meth. cap. 1.* hoc idem vult significare dicens: *Est solutio continuitatis in carne in qua consistit una vel plures dispositiones qua consolidationem impediunt*, ex quibus, ut ait Avicenna, sanies aut putredo causatur. Hanc ergo nos ut veram amplectimur: oportet tamen ut ejus verba expendamus. In solutione igitur continui convenit cum vulnere & apostemate, & cum omnibus partibus tam similaribus quàm organicis quæ ex propria natura exposcunt unionem; etenim rigorosè loquendo ulcus competit non solum partibus similaribus, sed etiam organicis quidquid dicat Ioannes Falco *in expositione Guidonis*: nam asserere solum organicas partes exposcere contiguitatem absurdum & Philosophiæ repugnans esse demonstrat ratio; etenim nihil magis commune inter omnes Medicos est ex Galeni doctrina deductum *lib. de differ. morbor. c. 4.* quàm quod morbus in soluta unitate est communis tam parti organicæ quàm similari, sed si non exposcerent unionem partes organicæ, minimè morbus in soluta unitate esset communis, sed tantum peculiaris ipsius membri simplicis, seu partis similari, quod est contra Galenum, & reliquos antiquos Scriptores: Ergo solutio continui est morbus communis utriusque parti, ac per consequens talia particula genus etiam respectu organi dicitur. Insuper reliquæ definitionis

Henriquez Laureæ Medicæ Tom. I.

particulæ se habent ut differentia, itā ut illa verba *in parte carnosā*; segetur ulcus à solutione continui quæ est in ossibus, aut in cartilaginibus in quibus solutio continui minimè meretur nomen ulceris, quoniam in eis itā minima & parva quantitas puris aut saniei generatur, ut nequaquam possint adaptari ultima verba, nempe *cum pure aut sanie*, per quæ tantum per infimam differentiam & ultimam discriminatur ulcus à vulnere: nam hæc solutio recens, etiam in parte carnosā cruenta, seu sanguinolenta, attamen citra saniem & pus: Et hinc nascitur quod in vulnere successu temporis necessariò generatur sanies, & sic vulnus migrat in ulcus, non tamè ulcus poterit migrare in vulnus, quia nequit redire ad primum statum in quo fit cruenta solutio continui.

Cæterum, ut clarior evadat definitionis expositio, advertere necesse est per solutionem continui in parte carnosā Authores intelligere etiam venas, arterias, & nervos, ac omnes reliquas corporis partes præter ossa & cartilagines, quæ quia ex propria natura sunt sicca membra, ex his quæ in nostro corpore adsunt, parvissima & ferè nulla quantitas saniei generatur solutione continui factā in ipsismet particulis, & sic cum deficiat præcipua ulceris differentia in eis, mirum non est si talis solutio non dicitur ulcus, sed disruptio, & corrosio.

Secundò advertendum est saniem aut pus generari in omni ulcere ob imbecilitatem facultatis nutritivæ existentis in membro in quo est solutio continui, necnon etiam quia expultrix ejusdem membri debilis reddita est ob eandem causam, nempe ob vitium seu distemperiem causatam ab ulcere; quo fit ut illa minimè possit convertere totam materiam, quam facultas trahens ad alimoniam trahit; neque ista possit pellere totam illam substantiam excrementitiam exuberantem à nutritione; & sic manet in membro ulcerato sanies illa, seu purulenta substantia, cujus ratione ulcus mundificationem exoptulat.

Dices, ex hac doctrina sequi non solum ulceris rationem competere parti carnosæ modo nuper explicato, verum etiam ossibus & cartilaginibus. Sequela probatur: etenim ed præcisè diximus non competere ossibus, aut cartilaginibus, quia in ipsis solutio continui non facit saniem consideratu dignam; sed hoc itā non est ergo. Probatur Minor: nam ed sanies generatur in parte carnosā in sufficienti quantitate, ut per ipsam denominetur solutio continui ulcus, quia per hanc debilitatur membrum, ejusque nutriens facultas & expellens, & sic quamplurimam copiam saniei generat, ed quod non possit commutare totam materiam alimonie quæ trahitur pro rectificatione ipsius membri: sed hoc ipsum accidit in ossibus, & cartilaginibus quando solvi-

C c tur

tur continuitas debita; ergo quemadmodum partes carnosæ generant saniei sufficientem quantitatem ad ulceris constitutionem, sic ossa & cartilaginee. Nec valet si respondeas siccitatem ossium & cartilagineum impedire generationem saniei, quantumvis complexio sit vitiosa per solutionem continui, & membra sint debilia: Contra sic urgeo difficultatem positam; nam siccitas cujuslibet membri quantumvis intensa, non tollit quominus tale membrum attrahat debitam mensuram materiei nutrimenti requisitam pro augmento & conservatione partis: ergo si talia membra ingentem contrahant languorem, citrà dubium non commutabunt dimidiam partem aut quartam nutrimenti. In quo eventu quis audet dicere in osse aut cartilagine non generari sufficientem saniei quantitatem ad ulceris constitutionem. Ergo apparet ex his aut ossa posse ulcerari, aut diminutè adductam esse ulceribus definitionem.

Respondeo tamen, quòd quantumvis debilis reddatur ossum seu cartilagineum facultas per continui solutionem; nihilominus in ipsis minimè generari sufficientem saniei quantitatem ad ulceris denominationem: tum quia materia superflua non ità facile putrescit ob defectum humiditatis & caloris existentis in osse, tum etiam quia ex propria natura ossa sint sicca, necessariò alterant materiam alimenti pro sui assimilatione per siccitatem, & sic inepta redditur ad puris seu saniei formam acquirendam. Quo fit ut in parva quantitate generetur, ità ut non tribuat specialem indicationem. Chirurgus aut Medico ad medelam solutionis continuitatis quæ mundificationem & absterisionem exposcat, quominus partes divisæ possint iterum redire ad antiquum laqueum, & unionem, & per consequens fiat consolidatio, Cujus contrarium accidit in partibus carnosis in quibus humiditas naturalis adèd magna est, & calor natus ità intensus, ut facillimo negotio humiditates superfluas quæ ibi delitescunt putrescant & corrumpantur, indeque sanies seu pus generetur.

Dices secundò: Differentia quæ sumitur à duratione temporis majori vel minori, est valde accidentaliter, & minimè potest constituere differentiam essentialiter: sed talis est quæ versatur inter vulnus, & ulcus, ergo solum differunt accidentaliter. Major est certa; Minor probatur; nam ex eo quòd vulnus duret per aliquod tempus consideratu dignum, acquirit saniem, ut omnibus compertum est ob rationem quam nuper adducebamus, sed nihil additur vulneri essentialiter quod variet sua prædicata essentialia, neque in ratione solutionis, neque in ratione talis solutionis ex eo quòd duret per parvum aut multum tempus: Ergo tales affectus non debent usurpari, tanquam diversi essentialiter, sed accidentaliter.

Respondeo id quamplurimos fateri libenter, necnon citrà Antiquorum fundamentum. Nos tamen vestigia Recentiorum sequentes dicimus; in vulnere & ulcere, esse considerandam materiam physicam seu entitatem physicam morbi; quæ cum sit utpote solutio continui eadem in eisdem partibus, & esse considerandam naturam Medicam ipsius, quatenus indicat specialiter sui ablationem, & hoc modo ulcus importat supra vulnus indicationem specialem summè necessariam pro consolidatione, nempe mundificationem saniei, seu puris quæ impedit unionem effi-

ciendam à Natura, & juvandam à Medico quæ non dicit vulnus, in reliquis autem conveniunt. Et sic qui ad unguem medelam ulceris percalluerit, inde necessariò vulneris medicationem, seu indicationem curatricem supponit. Quapropter præfens Tractatus imbibit Tractatum de vulneribus; siquidem vulnera illicò transeunt in naturam ulceris, eò solum quòd durent per aliquod tempus consideratu dignum, & sic qui medetur ulceri, vulnere etiam medetur.

Dices tertio contra nos: Ulcus præcisè quatenus ulcus, solum est morbus in solutione continuitatis, sed per talem solutionem nequit generari sanies seu pus; igitur ad rationem ulceris necessariò prærequiritur alius morbus à quo procedat saniei generatio. Major admittitur ab omnibus, Minor probatur sic: diximus superius generari saniem in ulcere ab intemperie partis, seu propter ejus malam complexionem: sed per solutionem continui minimè aufertur naturale temperamentum partis similis, ergo quantumvis pars carnosæ labore solutione continui, naturaliter & perfectè operabitur proprium opus quòd est nutritio; & per consequens non poterit pars ulcerata ob imperfectam nutritionem generare saniem aut pus. Quòd autem per solutionem continui præcisè non auferatur naturale temperamentum partis similis, probatur: Solutio continui nullam importat contrarietatem cum temperamento, siquidem formaliter est defectus unionis qui pertinet ad prædicamentum quantitatis, & sic non poterit contrariari cum naturali temperamento; etenim ea quæ contrariantur sub eodem genere maximè distare debent, constat autem defectum unionis stare sub genere quantitatis, & temperiem sub prædicamento qualitatis; ergo eorum positio seu distantia (si forsan datur) non est sub eodem genere, & perinde unionis defectus minimè poterit evertere naturalem temperiem partium, ac per consequens nec nutritionem. Non ergo in ulcere poterit generari pus, ut nec mala complexio, ut dictum est.

Præfato ratiocinio posset aliquis respondere dicendo per solutionem continui deficere conditionem quandam, unionem scilicet requisitam pro actione, & sic actionem fieri diminutam; & perinde facultas non potest commutare totum alimentum; unde ex illo quòd superfluit fit sanies illa quam in ulceribus experimus. Verumtamen contra hanc evasionem sic possumus procedere nam partes similes à quibus fit nutritio minimè perunt neque ad sui constitutionem, nec ad operari quantitatem determinatam, sed solum debitam temperiem: Ergo per defectum unionis cum altera parte, nihil tollitur de requisito, & perinde perfectè operabitur suam nutritionem, & non diminutè. Non ergo apparet quæ sit causa generationis saniei in ulcere.

Nos tamen principali dubio dicimus per defectum unionis vitari nutritionem, seu actionem partium similiarum, nam licet uni parti similitari præcisè consideratæ non debeat unio cum altera, debetur tamen & est requisita ad integritatem illius totius, quòd ad integrat & componit, & sic per defectum unionis debilitantur facultates, & diminutè operantur. Quo fit ut necessariò evertatur naturale temperamentum; nam debilitas facultatis non fit quia deperdatur aliquid substantiæ constituentis ipsam facultatem, sed quia instrumentum medio quo operatur

operatur facultas quod est temperamentum, variatur. Præterquam quod debili existente facultate, languescit necessariò calor nativus & naturalis à quo fit nutritio, & reparatio, & sic solutâ existente continuate, temperamentum seu calor nativus imbecillis redditur, & per consequens non potest commutare totam materiam quæ attrahitur, indeque perseverant superflue humiditates, & sanies fit in ulcere propter vitium complexionis membrorum simularium.

CAP V T II.

De Ulcerum differentiis.

COMMUNITER Scribentes Chirurghi à titibus potissimum ulcerum differentias sumpsere, nempe à causis earum, ab accidentibus, & demùm à membris in quibus talia ulcera firmantur. Non tamen omnes ità dividunt ulcera, quinimò aliqui brevitati studentes à duobus duntaxat ulcerum differentias accipiunt, videlicet à causis ab accidentibus, seu affectionibus ipsis cum quibus complicantur, nullâ factâ mentione differentiarum quæ à membris seu particulis laborantibus desumuntur; nam existimant potiùs ad Tractationem particularem de ulceribus quàm ad universalem pertinere; & bene, siquidem in præsentiarum tantùm de his agendum quæ ad generalem rationem ulcerum attinet; constat autem ulcerum differentias, quæ à membris patientibus desumuntur ad specialem tractationem pertinere, meritò igitur sunt relegandæ ab hoc loco; solum admittentes eas differentias quæ à causis desumuntur, & accidentibus Ulcerum.

Igitur differentia quæ à causis sumuntur saltem communiore & frequentiores sunt, Ulcus virulentum & corrosivum: Ulcus sordidum, Ulcus putridum seu putrefactum: Ulcus cavernosum, & profundum: Ulcus fistulosum, & Ulcus cancerosum. Rursus differentia Ulcerum quæ ab accidentibus, seu affectionibus quibus ipsa Ulcera complicantur, desumuntur, communes ferè sunt ipsis etiam vulneribus, etiam si priùs & principalius de Ulceribus verificentur: hujuscemodi autem sunt Ulcus cum intempérie; Ulcus crucians sive dolorosum; Ulcus apostematosum, id est cum Tumore aliquo præternaturam; Ulcus contosum, Ulcus supercrecens, id est cum carne molli & superflua; Ulcus cancerosum, & gangranosum; Ulcus cavum; Ulcus cariosum, id est cum osse corrupto; Ulcus cum varicibus, & denique Ulcus malignum, & ægrè sanabile. Veruntamen ex his omnes illæ differentia, quæ solum addunt supra Ulcus affectionem ulceratam cum ipso complicatam, minimè, Galeno auctore 4. *Methodi citato*, censendæ sunt propriæ Ulcerum differentia, immò potiùs affectiones aliorum affectionum cum ipsis ulceribus qui seorsim, & per se consistere possunt, actionem per se lædentes. Hujuscemodi affectus qui complicantur cum Ulceribus, ipsaque denominantes sunt Grægræna, Phlegmone, Erysipelas, Cancer, & alij id genus, quæ per se possunt lædere, & accidentaliter cum Ulceribus conjunguntur.

Henriquez Laureæ Medica Tom. I.

Eodem igitur differentia quæ ab accidentibus desumuntur, propriæ Ulcerum non dicuntur; sed complicationes symptomatum cum Ulceribus, qualiter accidit dum dicimus Ulcus dolorosum seu crucians, à dolore complicato cum ipso; & cum dicimus Ulcus cacochoyimum, à cacochoymia complicata; aut Ulcus rheumaticum à fluxione ibi conjuncta, & sic de aliis similibus accidentibus à quibus vulgares Chirurghi, nec non etiam Medici Ulcerum differentias imposuerunt, quæ reverà talia non sunt, sed complicationes seu morborum cum Ulceribus, sive symptomatum, seu accidentium; unde fit quod verè ac propriæ ulcerum differentia à substantia sive natura solius ulceris simplicis desumantur. Vocamus autem ulcus simplex quod per se existit, ità ut ipsi nullus alius affectus, neque symptoma conjunctum, aut cum illo complicatum sit. Hujuscemodi autem propriæ differentia desumuntur, & à figura ipsius ulceris, & à quantitate, & à spatio, seu dimensione. A figura desumuntur ulcus rectum, ulcus obliquum, Ulcus circulare, & ulcus retortum; A quantitate denominatur ulcus magnum aut parvum: A dimensione vocatur ulcus longum, ulcus breve ulcus latum, ulcus angustum, ulcus sublimè aut superficiale; ulcus deinde profundum; & denique ulcus æquale, aut inæquale.

Sunt etiam & aliæ ulcerum differentia quæ extrinsecus accidentes dicuntur, & harum aliqua desumuntur à tempore juxta quod ulcus aliud est recens, aliud inventeratum. Aliæ verò dicuntur tales ex modo generationis, secundùm quam vocatur ulcus incisum, aut disruptum, aut partim incisum, aut partim disruptum. Aliæ denique desumuntur, ab ictu in parte affecta, ut ulcus evidenter appatens; aut intus conditum, idque in toto, aut in parte. Item ulcus in principio musculi, aut in fine in medio, item ulcus, vel in parte similari, aut in organo. Quæ omnes rigorosè non sunt dicendæ differentia ulcerum; siquidem ab ulcerum substantia minimè desumuntur, sed ab accidentibus dictis, de quibus omnibus & aliis & de quibus hucusque diximus suo peculiari loco specialius agemus.

Quæret aliquis: An omne ulcus necessariò percurrat quatuor tempora, quæ in aliis morbis pendentibus à materia condistinguunt Medici, nempe principium, augmentum, statum & declinationem, quoad mutationem causæ secundùm coctionem & cruditatem. Cui dubitationi occurrit Galenus *de morbi temporibus cap. 3.* ubi postquam de temporibus inflammationis, & febris quæ ipsam consequitur fuerit locutus, tenet expressè ulcera etiam quatuor tempora percurrere ratione suæ causæ. Et ratio pro hac parte convincere videtur; etenim idem in aliis morbis pendentibus à materia dantur quatuor tempora quoniam diversimodè alteratur materia, ità ut subeat quatuor mutationes circa coctionem & cruditatem; sed sic similiter in ulceribus diversimodè alteratur materia in ordine ad correctionem & emendationem: Ergo quemadmodum in aliis morbis pendentibus à materia conceduntur quatuor tempora, sic & in ulceribus. Quod verò in his subeat materia præfatas mutationes ostendit rerum omnium edocta experientia; videmus enim à principio in ulceribus redundare materias saniosas, tennes, &

Cc 2 aquo

aquofas, quæ proculdubio denotant cruditatem, & tempus principij. Deinde hujusmodi superfluitates sunt in minori copia, & aliqua erassitas apparet in eis, & tunc judicamus esse tempus augmenti, quoniam tunc judicamus naturam incipere coctionem materiæ: Postea ulcus excernit superfluitates cum signis manifestæ concoctionis, etiamsi cum aliqua tenuitate, & tunc vocatur status, seu summus vigor; & tandem excernitur materia pauca crassa, & alba, & dicitur declinatio.

Et licet Ioannes Falco in *commentario Guidonis* teneat hujusmodi tempora propriè talia non esse, sed solum per similitudinem ad alios morbos à materia pendentes, quoniam judicat in morbis jam factis, cujus naturæ est ulcus, minimè talia tempora competere propriè; nihilominus si ritè loquamur, non est cur ulcera non percurrat quatuor tempora propria ratione causæ impediens consolidationem, quoad coctionem & cruditatem; nam imprimis fatentur omnes tum Medici, tum Chirurghi diversas sumi indicationes ex universa mutatione superfluitatum ulcerum per actionem Naturæ emendantis & concoquentis excrementitias illas substantias consolidationem & unionem impediens. Ergo tales mutationes verè tempora causæ nominari debent, etiamsi morbus cujus sunt superfluitates, videlicet ulcus, sit in facto. Patet Consequentia, etenim quod morbus sit in facto, vel in fieri non tollit quominus Natura agat in causam, & in omnem extraneam materiam impediens reditum ad statum naturalem: sed hoc ipso necessariò debent esse in causa successu temporis diversæ mutationes ordine ad coctionem, atqui tales dicuntur tempora causæ; igitur in ulceribus propriè & omni rigore debent concedi, & non per similitudinem. Et confirmatur; nam non alia de causa in reliquis morbis pendentibus à materia vera sunt talia tempora causæ quoad coctionem & cruditatem, nisi quia per actionem Naturæ intendens concoctionem materiæ causantis morbum, diversæ dantur in ea mutationes quoad coctionem & cruditatem, per quas tandem pervenit vivens ad statum antiquum & naturalem, sed hujusmodi mutationes circa causam extraneam seu præternaturam dantur in ulceribus, ut constat ex accidentibus saniei seu superfluitatum: ergo quemadmodum in aliis morbis pendentibus à materia dantur quatuor tempora causæ quoad coctionem & cruditatem, talia debent concedi in ulceribus.

Inquires ulterius, quæ sit causa quare ulcera rotunda difficiliùs medentur, & periculosiora sunt in pueris: supponit quæsitum præsens rotunda ulcera difficiliùs curari, necnon etiam in pueris esse periculosiora, quod & Hippocrates scriptum dedit *lib. 6. Epidem. xxxi* 18. ipsùmque sequitur & Galenus, & Vallesius *commentario* 1.

Idem testatur vetustissimus Senex *libro de Ulceribus*. Rationem tamen hujus eventus reddit Vallesius *loco citato*, ex eo quòd figura rotunda in ulceribus est perniciofa, ità ut difficillimam indicet curationem maximè verò in infantibus, quoniam mendicatio præstari debet triplici aut quadruplici sectione, ut scilicet ex rotundis fiant longa ulcera, ex decreto Hippocratis de *Ulceribus*, *citato libro*; Constat au-

tem infantes ferre non posse dolores ingentes quæ in necessariò ex sectione triplici aut quadruplici oriuntur; nec minùs difficultatem curationis, quo fit ut curati animi deliquio, aut syncope corripiantur, præsertim cum facilè resolubiles sunt, aut convelluntur; non curati verò facilè ob carnis mollitiem exeduntur, aut malignatur ulcus; & sic fit, quòd hujusmodi rotunda ulcera, & curatu sint difficillima, & in pueris seu infantibus periculosiora. Hanc eandem opinionem tuetur Avicenna *lib. 4. fen. 4. Tractatu* 3. eamque meritò omnes Scriptores tanquam veram defendunt.

Verùm enim verò licet dictis assentiar, non possum non mirari cur tum Antiqui, tum etiam Moderni Authores quos vidi, ne verbum quidem protulerint circa fundamentum præsentis difficultatis, nempe quid habeat rotunda figura quòd constituat ulcera perniciofa, & difficilis curationis? de hoc enim Authores nec verbum proferunt; quod quàm sine ratione omiserint, ipsa proclamatur ratio: Etenim gratis videntur assumere talem figuram rotundam constituere ulcera perniciofa, & curatu difficillima? Cæterùm ut ejus dubioli veritas appareat, proponamus rationem dubitandi, quæ statim dum hæc scribebam in mentem venit; talis est, difficultas curationis in ulcere, & inde forsan perniciæ debet necessariò oriri ex difficultate consolidationis sive unionis; atqui hæc cæteris paribus æquè difficilis est in ulceribus cujus figura est longa, dummodò sint lata; non ergo aliquid peculiare importat figura rotunda quòd difficultatem augeat curationis? Minor, in qua est tota difficultas probatur sic: quoniam Natura æquè versus omnem dimensionem generat carnem ubi talis apparet defectus, & necessitas; ergo sive figura sit rotunda in ulcere, sive longum, æquè Natura generabit carnem, & per consequens ità facilè consolidabuntur ulcera rotunda, ac longa, cum sit hoc opus nutritivæ facultatis, quæ sine electione & in quantum potest agit in repositionem partis perditæ.

Confirmatur assumptum: nam solutio continuitatis in forma circulari facta nec prosternit magis vires, nec est alterius speciei, quàm ea quæ fit secundum longitudinem, tum in utraque eodem modo fiat divisio præternaturam: ergo non erit difficilioris consolidationis illud ulcus quòd fit ad formam circuli: Quod confirmat exemplum & experientia manifesta quàm in fontanellis habemus, quæ ulcera sunt in forma circulari, & nihilominus si per spatium unius diei cesset appositio cicericis in cavitate rotunda consolidantur, & uniuntur partes; signum ergo est formam circularem seu figuram in ulceribus non esse impedimentum quòd minùs fiat facilis curationis, quemadmodum ulcera longa.

Respondendum tamen est propositæ Controversiæ, rotunda ulcera absolutè non esse perniciofa & difficilis curationis. sed rotunda & profunda. Sic Hippocrates 6 *de morbis popularibus* *sect. 1.* verba sunt sequentia: *Solverit autem & ulcusculorum infernè eruptio si non rotunda & profunda fuerint, talia enim perniciofa etiam aliàs sunt.* En quomodo Hippocrates non solum rotunda quomodocunque, sed

sed & profunda ulcera vocat pernicioſa. Idem teſtatur *lib. de Ulceribus, textu 5.* Et clariuſ ad noſtrum intentum dicens: *ex Ulceribus rotunda ſi ſubcava fuerint, excidere oportet, &c.* Perpendo verba, ex rotundis Ulceribus ſolum oportet excidere ea quæ ſunt ſubcava; ergo rotunda figura non parit malitiam niſi cum cavitate conjungatur.

Verum, etiam ſi hæc interpretatio non fit extra rem, immo potiùs juxta Hippocratiſ genuinum ſenſum; nihilominùs aliquid importare rotundam figuram in ordine ad malitiam, & medicationis difficultatem pro certo tenendum, cum id expreſſerint omnes Authores; & adhuc Hippocrates ipſe hoc ipſam ſignificat, cum aſſerat rotunda ulcera, & cava eſſe pernicioſa, & non alterius figuræ, nec longæ, nec latæ. Ergo licet profunditas malitiam pariat, etiam rotunditas id facit, Quare videtur adhuc urgere difficultatem primò poſitam, ſic dicendum rotunditatem ex ſe eſſe figuram pernicioſam conſtituens ulcus difficile medicabile, non verò ulcera alterius figuræ. Et ratio eſt: quoniam idèd ulcus eſt pernicioſum & difficile curationis, quò difficileſior apparet conſolidatio; Conſtat autem in circulari figura difficileſiorem eſſe conſolidationem, igitur ea eſt pernicioſa, & difficileſis curationis. Minor in qua eſt difficultas ex eo probatur, quoniam partes per formam circularem æquè inter ſe magis diſtant quàm in qualibet alia figura; ſed quò magis diſtant, difficileſius uniuntur & conſolidantur, ergo ex vi majoris diſiſionis, ſeu diſtantiæ rotunda figura in Ulceribus eſt pernicioſa. Quod verò omnem parte magis diſtent, conſtat, quamvis enim ſi ſint loga aut lata, nihilominùs partes omnes non æquè diſtant inter ſe, ſiquidem per ulceris originem, aut finem, magis diſtant, & ſic ab illis facileſius incipit carnis, ſeu ſubſtantiæ defectuoſæ regeneratio, ac per conſequens facileſius fit unitio & conſolidatio, indèque curatio. Unde conſtat præciſè formam rotundam eſſe pernicioſam, & præcipuè in infantibus ob rationem ſuperiùs allatam.

CAPVT III.

De Ulcerum cauſis.

Ulcerum cauſæ generales geminæ tantum conſtituuntur ab omnibus ferè Recentioribus ſcribentibus, nempe Antecedentes & Continentes: ſeu Conjunctæ. Ulcerum cauſæ Antecedentes ſunt humores omnes quicumque qualitate peccant, & cacochymiam conſtituunt paratæque ſunt ad fluxum, actu fluentes in partem ulceratam, ſeu alioqui debilem; ubi humores tales dum ſtillantur, ulcus conſtituunt: Talis enim natura pravorum ſuccorum eſt, ut illicò qua in parte ſtillantur, ipſam erodant & exulcerent. Cæterum, huiusmodi ſuccorum pravitas quandoque ex vitioſa & inordinata victùs ratione oritur, quandoque ex vitio totius corporis, ſeu alicujus principalis membri, ut hepatis, aut lienis accidit, quæ cum officinæ præcipuæ noſtri corporis ſint, proculdubio ſi vitientur, ſanguinem ſeu ſuccum vitioſum diſpergunt per totum corpus, ulcus generantem ſua qualitate vitioſa, ſeu corroſiva. Quòd autem ita conſti-

Henriquez, Laurea Medica Tom. I.

tui debeat in ulceribus Antecedens cauſa, à ſimili de qualibet alterius morbi pendentiſ à materiæ cauſa, comprobatur, etenim, v. g. cauſam Antecedentem inflammationis, ſeu coſuſſibet alterius Tumoris cauſam vocant Chirurgi humorem actu fluentem, aut paratum fluere in corpore redundantem. Ergo ita ſimiliter ea cauſa dicitur Ulceris antecedens, ſuccus ſcilicet vitioſus, aut actu fluens, aut paratus ad fluendum in partem ulceratam.

Porò, miror in hac parte Virum ita doctum qualem Tagaultium *lib. 3. Inſtitutionum Chirurgicarum, cap. 3.* aſſerere ſolos ſuccos ſeu humores qualitates peccantes & cacochymiam conſtituentes, habere vim Cauſæ Antecedentiſ in Ulceribus; ſecus verò quantitate peccantes; miror quidem iterum, nam dum quis bene ſe habet undequaquè, minime cacochymia laborans, & poſtea caſu quodam vulneratur, tunc quidem vulnus diù durans tranſit in ulcus, ut quotidie experimur: huiusmodi autem ulcus proculdubio habet cauſam Antecedentem; ſed talis nequaquam poterit eſſe humor qualitate peccans, cum ſupponamus nullum eſſe in corpore; immò potiùs omnes humores proportionatos; non ergo Cauſa Antecedens Ulceris debet eſſe ſuccus qualitate peccans neceſſariò, ſed ſufficit quòd; redundet, & paratus ſit ad fluendum, aut fluat in partem ulceratam. Præterquam quòd etiamſi humores quantitate non peccent nec qualitate, decumbunt in partem ulceratam tanquam in membrum debile. Ergo citrà peccatum qualitatis & quantitatis humores qui fluunt, aut parati ſunt ad fluendum, habent rationem Cauſæ Antecedentiſ. Et confirmatur: nam quando excitatur Phlegmon in aliqua parte propter ictum, aut contuſionem, aut dolorem; ſive aliquam externam cauſam, tunc talis morbus, ſcilicet Tumor præternaturam, habet pro Cauſa Antecedenti humorem fluentem, aut fluxurum, ut omnes fatentur; ſed ad hoc ut fluant in locum dolentem, v. g. ubi excitatur phlegmon, neceſſarium non eſt eſſe tales humores qualitate, aut quantitate peccantes, ſed ſufficit aliquod membrum pati aut debile eſſe ad hoc ut omnes mittant in ſubſidium ſanguinem & ſpiritus vim Cauſæ Antecedentiſ habentes: igitur ſic ſimiliter in ulcere ut conſtituatur Cauſa Antecedens aliquis humor, non eſt neceſſarium quòd peccet nec in qualitate, nec in quantitate.

Nec valet ſi respondeat aliquis pro Tagaultio, ſuccum deſcendentem ad ulcus, ibi corrumpi & putreſcere & ſic qualitate peccare: non inquam valet, etenim humor putreſcens in particula ulcerata non habet vim Cauſæ Antecedentiſ, ſed Conjunctæ, ſeu imbibitæ in membro patienti; ergo licet ibi putreſcat, bene ſtat, quòd antè dum fluebat, aut fluxurus erat humor, omnino eſſet naturalis ſine peccato nec qualitativo, nec quantitativo; ruit ergo evaſio: Minùs urget contra nos, ſi iterum respondeat aliquis dicendo humorem ſeu ſuccum putreſcentem & corruptum in ulcere facere cacochymiam in corpore, corruptionem inducendo in altero humore: nam contra ſic premo ratiocinium, etiamſi in particula Phlegmone laborante putreſcat humor impactus in ipſo Phlegmone, non inde neceſſariò corrumuntur cæteri humores, neque aliquis eorum, aliàs ſemper eſſet fe-

bris putrida complicata cum bubone, quod nemo hucusque asseruit; sed omnes fatentur tales febres esse accidentales; referturque, ad diarias; ergo sic similiter etsi humor seu succus existens in parte ulcerata corrumpatur, non inde necessarium debet corrumpere alium succum qui vim habeat Causæ Antecedentis, præcisè propter corruptelam. Dicendum ergo est frustrà poni à Tagaultio peccatum in qualitate necessarium requisitum in humore, ad hoc ut constituat Causam Antecedentem in ulcere.

Solum igitur præfati Authoris doctrina habet verum quoties ulcera oriuntur ab interna causa, sua intrinseca qualitate erodente, & ulcerante: in quo eventu fieri nequeunt ipsa ulcera nisi tales humores cacochymi sunt, & in qualitate peccantes, aliàs enim si ulcera procedant ex vulneribus seu ab aliqua causa externa, non oportet causam antecedentem qualitate peccare, ut dictum hucusque est.

Causa Continens seu Conjuncta Ulceris dicitur communiter à Chirurgo intemperies illa, seu malitia Complexionis in ulcere adq̄sita, sive à Causis Antecedentibus, sive ex vulnere, sive aliquo alio affectu præternaturam valente distemperare ulceratam particulam. Cæterum, licet intemperies, seu mala complexio ulceratæ particulæ sit efficiens causa, impediens consolidationem, nec non etiam conducens pro saniei, aut puris generatione; nihilominus consonum magis rationi videtur, causam Conjunctam esse assignandam more reliquorum morborum à materia pendentium, ità ut quemadmodum in tumore præternaturam, Causa Conjuncta dicitur humor contentus in ipsa particula tumore laborante, & non distemperies seu mala complexio ipsius particulæ, quæ proculdubio ex prohibita ventilatione innascitur; sic in ulcere Causa Conjuncta debet esse humor contentus in ipso, seu ipsum actu irrigans & madefaciens, detersionem exposcens, & consolidationem impediens, qui etiam distemperat partem ulceratam. Et rursus ipsamet pars per talem distemperiem corrumpit etiam humorem superantem ex nutrimento, sordem & virulentiam in ulcere constituentem; à quibus fovetur ulcus: Ex quo fit quoddam etiam si mala complexio ipsius membri ad id etiam valde conducat tanquam instrumentum medio quo operatur facultas; nihilominus verius & rigorosius dicuntur Causæ Conjunctæ ulceris superfluitates illæ contentæ in ipso, quemadmodum in Tumore præternaturam solum humor contentus in particula dicitur Causa Conjuncta etiam si pars sit malè complexionata.

Inquires, An ulcera habeant causam primitivam prægressam, seu evidentem, quemadmodum affectiones reliquæ materiales. Respondet Guido *lib. 4. de Ulceribus*, & Tagaultius *lib. 3. cap. 3.* Ulcera minimè habere causam primitivam, quoniam si quæ est causa externa solvens continuitatem, non hoc ipso producit sanie, sed prius dilacerat, & deinde sanies generatur putrescentibus succis decumbentibus in partem dissolutam: igitur signum est causam externam non posse facere ulcus sed vulnus: etenim minimè est ulcus sine sanie, ut in ejus constituto patefecimus. Constat autem sanie solum generari post causam primitivam, ex succis internis. Igitur formaliter ulcus immediatè oriri non poterit à causa externa seu primitiva.

Hoc tamen assertum displicet cuidam Recentiori: nam etsi ut verum teneat, communiter, & ut plurimum ulcera non habere causam primitivam, tamen asserit quandoque accidere posse ut primo occursum à causa externa oriantur. Probat primò: nam dum ferro candente fit fontanella aut caustico aliquo auxilio, tunc talis solutio continui non est vulnus, quia non est sanguinolentum, neque ulcus, cum sit recentiter facta, & sine purè, ergo. Certè hoc argumento, potius probat iste Author dari solutionem continui mediam inter ulcus & vulnus quæ non sit particeps utriusque extremi; nam ut probaret ratio intentum deberet convincere solutionem continui factam in fontanella, aut qualibet alia inustione, verè rationem ulceris & formalissimè participare; atqui potius præfatum dilemma probat ex una parte non posse ulcus, cum sit talis solutio recens, & sine sanie, sinistrè ergo adducitur pro solutione dubioli propositi. Melius probat placitum suum sequentibus ratiocinationibus ab experimento de promptis; nam corrosio est species ulceris, sed talis poterit oriri à causa primitiva, sæpe numerò fit à medicamento acri & mordaci, ergo. Secundò; scabies ulcerosa est verum ulcus, atqui talis quandoque fit per contagium cum altero, ergo fit verum ulcus à causa primitiva, seu externa: Tertium sumitur argumentum ab ulceribus quæ in pudendis quotidie fiunt per contagium, seu per conjunctionem cum sceminis infectis, talia enim procul dubio sunt vera ulcera, & nihilominus à causa primitiva excitatur: non igitur repugnat cum ulcerum natura fieri à causa procatartica, etiam si plerumque, & ut plurimum fiant ab interna.

Re tamen verà, verisimilior mihi apparet primitivus sentiendi modus, nam verum & formale ulcus constituitur per sanie præsentem & adhærentem solutioni continui, hoc enim fuit prædicatum differentiale, seu formale per quod à vulneribus ulcera differre diximus juxta omnium consensum, sed quælibet sit causa primitiva primo occursum quo dissolvit, non potest inducere sanie, ergo ab ea immediatè fieri nequit formale ulcus. Minor nostræ ratiocinationis in qua est tota difficultas probatur ex dictis; nam sanies generatur ex succis putrescentibus in parte in qua soluta fuit continuitas ob ejus imbecillitatem & impotentiam, ad coctionem, & correctionem totius alimenti, expulsionemque excrementorum, sed totum hoc fieri nequit primo occursum quo quælibet externa causa dissolvit, ut per se est manifestum, immò requirit tempus considerabile, seu quod diù dureret usquequò omnia dicta eveniant, quæ necessarium causam foventem internam, & causantem ulcus denotant; semper ergo formale ulcus à causa interna oritur. Neque ea quæ in contrarium sunt posita urgent aliquid contra nos; nam neque corrosiones, neque scabies ulcerosa, neque pudendorum illa ulcera, quæ contractu, seu medicamento acri fiunt, sunt formaliter ulcera usquequo fit sanies: hæc autem primo occursum non generatur, sed prius inducitur à causa primitiva dissolutio, & deinde in excoitationibus fit sanies per quam corrosiones, & ustiones formaliter sunt ulcera. Dicuntur verò ulcerum species materialiter antecedentes saniei generationem.

Dices, sequi ex hac doctrina dari medium inter ulcus & vulnus, ut probat primum argumentum pro contraria parte adductum exemplo fontanellæ, aut ustionis. Respondeo fontanel- lam, aut ustionem habere rationem vulneris etiam si tales continui solutiones non sint sanguinolentæ, quoniam tunc deficit sanies accidentaliter, ratione instrumenti, quo medio fit fontanella aut quælibet ustio, habet enim ex propria natura ignis humidi- tates consumere, & veterum orificia occludere, escharam inducendo, quâ de causa sanguis non erumpit, erumpet verò ex natura rei petita ab ipsa dissolutione; aut quia contraria causa potentior adest, nempe ignis; hinc evenit ut non appareat signum illud pathognomicum vulneris constitutum, quod non tollit quominus sic vul- nus fontanella primo occurru facta, & deinde ul- cus dum jamjam sanies seu virulentia adest in parte ubi fuit facta dissolutio continuitatis.

CAP V T I V.

De Ulcerum signis seu dignotionibus juxta præcipuas differentias, nec non etiam de Prognosticis.

ULceris in universum signa satis cuique pa- tent ex definitione 1. cap. adductæ, nempe ex continui solutione cum sanie seu superfluita- tibus ex renutritione derelictis. Cæterum quia summopere est necesse ulcerum differentias per- callere quæ superius sunt adductæ, idè in præ- sentarium eorundem dignotionem nullo ex alio capite melius quàm ex cujusque definitione ri- mari oportet; ut exinde melius quid in cujusvis medicatione agendum sit; perpendamus: Igitur ad rem accedendo singulas percurramus diffe- rentias, quarum una dicitur ulcus virulentum, quod idè tale dicitur; quia in eo virus est; hoc est tenue quoddam ac liquidum excrementum, sanies Latinis nuncupatum, & quapropter Ulcus saniosum non raro quamplures nominarunt: Ulcus verò corrosivum, seu erodens dicitur quod sua malignitate prodendo, & interdum escharam gignendo majus atque amplius in dies efficitur, eò quòd succus fluens in particulam ulceratam sit valde acris & mordax: verùm si hujus Ulce- ris malitia adeò crescat, ut non modò Ulceratas atque corruptas carnes, sed etiam sanas ab- sumat; tale ulcus depascens nominatur, cujus species est phagædena, id est, ambulativum ulcus, sic appellatum; quia huè atque illuc ser- pendo, curim ac subjectam carnem superficiale- tamen depascitur, & erodit.

Alterâ Ulceris præcipua differentia ulcus sordidum est in quo superfluit crassum ac viscosum excrementum illud quod sordem appellant Chir-urgi, juxta Galeni placitum 4. *Methodi curato.* Lanfrancus verò censet esse illud ulcus sordi- dum quod crustas aliquas habet crassas seu gros- sas, aut carnem aliquam mollem crassam, super- fluam.

Ulcus putridum est ex quo vapor aliquis gra- ve olens, seu fumus foetidus, & cadaverosus ex- pirat, persimilis illi qui ex putrescentibus cat- nibus effertur, habetque semper sibi conjunctam

sorditiem, nec non etiam caliditatem præterna- turam, & humiditatem superfluam, & sæpenu- merò febrem.

Rursus, Cavernosum ulcus appellarunt Chi- rurgi cujus orificium strictum est: atque angu- stum; profunditas verò latior, & sensum fu- giens, sive occulta, habensque quandoque var- rias, & occultas vias hinc inde discurrentes; ci- tra callositatem, & duritiem. Et fistulosum ulcus ab Ulcere cavernoso nuper descripto solum dif- fert penes id quod illud habeat meatus seu vias occultas callosas, & duras: Inde etiam cancro- sum ulcus est visu horrendum, foetidum, ha- bens labra dura, crassa, tumida atque inversa, colore medio inter rubrum, & nigrum, id est, fuscò & livido, & præter hæc circa locum Ul- ceratum venæ quædam livida apparent exaltatæ & turgida; crasso & nigro sanguine plena. Ul- cus deinde crucians sive dolorosum operatur illud quod ingenter laborantem molestat dolore seu trenciatu, sumpta denominatione à sympto- mate ipso, unde differentia hæc poterit procul dubio cum qualibet aliâ complicari. Rheuma- ticum ulcus est, illud aliunde recipiens humo- res fluentes qui sanescere seu consolidare vetant. Ulcera cacothè Galeno dicuntur quæ omnibus ritè atque decenter factis sanari non possunt, eò quòd in particula ulcerata malignitas quædam adsit cæca, & nobis occulta quæ prohibeat consolidationem, ratione cujus talia Ulcera ma- ligna contumacia, & rebellia, atque ægrè sana- bilia dicuntur ab omnibus. Est & aliud ulcus va- ricosum, illud nempe quando in partibus eo su- perioribus venæ quædam eminentes turgida crasso sanguine, aut succo aliquo vitioso oppleta ap- parent, quas varices vocant, ipsi ulceri fluxio- nem suppeditantes; & sanationem impediens. Denique dicitur ulcus Apostematofum, in quo tumor aliquis præternaturam conjungitur, si e- sit phlegmon, sive scirrhus, sive erysipelas. Ex quibus satis clarè constabit cuique definitiones omnes Ulcerum contemplanti signa omnia per quæ in eorum cognitionem facillimo negotio deveniet; reliquæ verò supra positæ Ulcerum differentię ita ex se sunt manifestæ, ut nulla indigeant enodatione, ut exinde Medicus aut Chi- rurgus, in earum deveniat notitiam.

Circa judicia seu prognosticam partem Ulce- rum stat Hippocrates 6. *Aphorismor. textu 45.* qui sic de diuturnis ulceribus ait: *Si Ulcera annua, aut etiam diuturniora fiant, os abscondere necessum est, & cicatrices cavas fieri:* Cujus causam red- dens Galenus in *commentario textus citati* ait, esse vel propter affluentiam vitiosorum humorum, vel propter affectionem in ipsa parte temporis diuturnitatem ex humorum affluentia contra- ctam; vel ob aliquod ossis vitium eo loco cor- rupti. Rursus, ulcus omne, quod postquam carne impletum est inductâ etiam cicatrice, su- bitò renovatur, periculum est ne in fistulam de- generet. Cæterum causa cur quam plurima ulce- ra postquam incarnantur, & cicatrizantur, rur- sus subitò renoventur, est quoniam os corru- ptum est, & nondum est mundificatum. Quo fit ut facilè sanies intus existens denuò corrupa- tur, & carnem exedat, fiatque denuò ulcus. Unde etiam distempries, & mala dispositio habitualis perseverat in parte ulcerata, & sic facilè omnes corporis superfluitates recipiat, protrahiturque ulcus, & procreatur fistula. Similiter mali moris

judicantur ulcera dura, & quæ ad nigredinem vergunt, etenim hujusmodi color particulæ ulceratæ caloris extinctionem insinuat. Ulcera deinde quæ aliis morbis succedunt, ægrè sunt sanabilia. Ratio est manifesta, nam vi præcedentis morbi, membrum ulceratum est valde debile, & sic facillimo negotio recipit superfuitates omnium membrorum: Quo fit ut descendentes succi, faciliùs corrumpantur, & perindè ratione hujus ulcera ægrè sint sanabilia.

Præterea ulcera rotunda pessima judicantur quoniam difficilè consolidantur. Rationem supra tetigimus, & præsertim ita judicantur in pueris. Quapropter quibuscumque accidunt talia ulcera, optimum est consilium, canteris aut sectiõibus circularem variare figuram, ut sic faciliùs fiat unio, & consolidatio, sed de his supra latius egimus: Item extremarum partium ulcera, sive pedum, sive manuum, sæpenumerò phlegmonas, aut alios præternaturalium tumores in adnatis partibus accersunt; præcipuè verò ubi corpus plethoricum sit; hujusce enim modi partes quoniam raræ contexturæ sunt, & spongiosæ, facillè fluxiones recipiunt. Quo fit ut si sit ulcus in pede, in inguinibus, sæpenumerò excitentur bubones, si in manibus sub alis, & sic de cæteris partibus adenosus philosophandum.

Deinde quando pili qui in parte ulcerata nasci solebant, corrumpuntur, maligna ulcera judicantur, quæ adjunctam habent fluxionem pravorum succorum, aut intemperiem quæ succos ipsos corrumpat, & pilos destruat non aliter quàm in alopecia fit; quod etiam simile accidit quando plantæ irrigatæ lixivio, aut aquâ salitâ illicè pereunt per corruptionem succi, seu alimenti vitiat; hæc enim ulcera ab Hippocrate 6. *Aphorismor. textu 4.* circumglabra nominantur, & maligna, quando scilicet pili circumjacentes decidunt, & corrumpuntur: *in cujus textus commentariò* Galenus rationem quam tetigimus ex defluxu pravorum succorum adducit.

Potèrò, ulcera in quibus post longam saniei seu virulentia emissionem pus laudabile apparere incipit, bonum nobis portendunt, siquidem & naturæ robur, & succorum obedientiam significant. Ulcera verò quæ in extremitatibus musculorum dorsi, vel tibiæ, aut brachiorum innascuntur, periculosa sunt, propter periculum retrocessus materię ad cerebrum, & etiam convulsionis ob dolorem, & punctiõem in ipsis nervis; cujus causa est communio partis nervosæ, & musculosæ cum ipso cerebro. Quæ etiam ratione prava Ulcera sunt quæ interna membra occupant, aut ad ea usque perveniunt. Cætera quæ ad prognosticam partem spectant omittimus in præsentiarum, quoniam plurimum etiam ad curandi rationem pertinere videntur, de quibus suo loco fusius agemus.

C A P V T V.

De curatione Ulcerum in universum.

In ulcerum medicatione duo sunt nobis perpendenda: etenim aut solum ulcus quæ ulcus est, cæteris aliis seclusis, contemplamur, aut Ulceris cum sua causa, symptomatibus, nec non etiam aliis dispositionibus quæ cum ipso com-

plicari posse sæpenumerò videmus. Cæterum si ulcus per se solum jacet, nullo cum aliquo alio affectu symptomatève complicato, & quatenus ulcus est formaliter sumptum, unicam tantum habet communem vulneris curandi indicationem; nempe exsiccationem, Galeno auctore 3. *lib. Methodi, cap. 1.* per sequentia verba: *ulceris quæ ulcus est sanatio, mediocrius siccatio est:* Dicitur autem hæc indicatio communis, quoniam comperit vulnere, quatenus vulnus, salvâ tamen differentiâ, quod ulcus majori indiget dissiccatione, vulnus verò minori; siquidem illud majori pollet excrementitiâ humiditate, minori autem vulnus; unde indicatio seu medela licèt una eadem sit in essentia, discriminatur tamen accidentaliter secundum magis aut minus.

Dices contra Galeni, & communiter receptam opinionem, ulcus ut ulcus (& idem est de vulnere) tantummodò importat solutionem continuitatis; ergo indicatio curativa ulceris tantum erit unionis productio, & non exsiccatio.

Nec valet si respondeas, exsiccationem indicari in ulcere, & vulnere, ratione saniei, seu virulentia impediens unionem indicatam per ipsam continui solutionem; nam potest contra aliquis urgere sic: Indicatio quæ desumitur à sanie seu virulentia ulceris, non sumitur ab ea quatenus ulcus est, sed ratione conjuncti excrementi impediens consolidationem, & perindè ulceris, ut ulcus est sanatio, non est mediocrius siccatio, ut testatur Galenus 4. *Met. citatus.*

Respondetur saniem in ulcere constituere ejus quidditatem, ut superius didicimus, ita ut ulcus non sit solutio continui, quæ necessariò secum non afferat saniem, seu virulentiam, unde fit quod ulceris ut ulcus est indicatio curativa, est exsiccatio, sed cur non protulerit Galenus unionem, si verum est intrinsecè etiam ulcus importare; dissolutionem. Respondeo; fortassè Galenum id non insinuasse, quoniam factâ desiccatione illius excrementiæ substantiæ, quæ consolidationem, & unionem impedit, necesse erat illicè unionem fieri, & sic meritò indicationem curativam desumpsit, ab ablatione impediementi, seu causæ impediens ipsam unionem, & consolidationem: Et cum tale excrementum sit humidum, ut infra constabit, indicatio ulceris quæ ulcus, est exsiccatio; ut scilicet fiat unio, & consolidatio.

Dices ulterius: si sanatio ulceris exsiccatio mediocrius est; ergo omne ulcus intemperie humida laborat. Patet Consequentia; nam contraria contrariis curantur; ergo si sanatio seu medela cujusslibet ulceris exsiccatio est, morbus erit intemperies humida; constat autem sæpenumerò frigidam, sæpenumerò calidam, & etiam siccam intemperiem conjungi cum ulcere juxta Galeni dogmata, & omnes Scriptores: non ergo semper exsiccatio sanatio ulceris est.

Respondetur exsiccationem esse ulceris sanationem, non idèd quia semper membrum ulceratum intemperie labore humida; sed quia semper habet sibi conjunctum excrementum humidum, nempe saniem aut virulentiam, exsiccationem exposcens, & consolidationem impediens. Quæ ratione licèt membrum ulceratum aliàs siccâ corripiatur intemperie, aut calidâ, semper in omni ulcere auxilia desiccativa indicantur.

Dices tertio: ed præcisè ulceris quæ ulcus est,

est, sanatio est exsiccatio, quoniam in omni vulnere necessariò adest excrementum tenue, humidum, consolidationem impediens, & exsiccationem indicans; sed similiter etiam adest necessariò excrementitia substantia crassa deterfionem exposcens, & mundificationem ut sic unio, & consolidatio consequatur. Ergo quemadmodum deficcatio humidæ substantiæ sanatio vulneris est, sic etiam deterfio seu mundificatio sanatio erit ulceris. Patet consequentia, etenim utroque modo tollitur impedimentum consolidationis; ergo tam exsiccatio, quàm mundificatio æquè requiruntur pro ulcerum sanatione; malè ergo Galenus omittit deterfionem dum intendit ulcera sanare. Respondeo Galenum hoc omittere non quia non sit summoperè necessarium, sed quoniam tunc de indicatione curativa communi vulneribus, & ulceribus tantùm agit, & hæc tantùm est exsiccatio; ac particularis indicatio quam ulcus supra vulnus importat, est mundificatio seu deterfio, & deinde incarnatio, & cicatrizatio, ut inferiùs latius videbimus.

Cæterùm, si secunda acceptatione sumatur ulcus, id est, quando cum altero affectu est complicatum, seu conjunctum à quo vel genitum est, vel foveetur, vel sine ejus ablatione sanari nequit, tunc quidem primò occurrere debemus affectioni seu symptomati quod alterius est causa, aut sine quo ulcus curari non potest, ut si sit Apostema, aut dolor, priùs curantis consilium debet dirigi ad illius ablationem, & istius sanationem quàm ad veram ulceris curationem accedat, quia se habent veluti conditiones sine quibus non poterit exerceri ulceris curatio: Et hoc ità verum est, ut debeamus uti si oportuerit auxiliis contrariis ulceri, ut accidit quando est caro contusa, in quo eventu mollificativis remediis utendum est, etiam si noceant ulceri. Igitur pro hujusmodi ulceribus curandis quæ cum aliis conjunguntur symptomatibus, quatuor adfunt medendi scopi sive curativæ intentiones. Prima victum, & alendi modum congruentem præscribit: Secunda ut materiam Antecedentem evacuemus, avertamus, & intercipientur quibus modis poterimus denotat: Tertia prærequirit ut femoveamus, & emendemus symptomata, & omnes dispositiones cum ulcere conjunctas, & complicatas: Quarta & ultima consequitur si ulceris excrementum tenue siccemus, crassumque detergeamus, ut exinde incarnatio, cicatrizatio, & consolidatio fiat.

Circa primam indicationem, victus erit præscribendus vel tenuior, vel abundantior pro viribus ægotantis, humorum abundantia, vel paucitate. Porro, in ciborum qualitate habenda erit ratio temperamenti, & humorum tum in toto corpore redundantium, tum in partem affectam influentium, ità ut si humores, sint acres & calidi, frigidos, & acrimoniam obtundentes instituatam cibos; & sic in omnibus contrarietate servatà procedere debemus.

Secunda scopus etiam perficitur juxta quantitatem, & humorum qualitatem quibus corpus laborantis scatur, & in partem ulcere affectam influunt, quâ ratione vacuatione, & aversione omni diligentia opus erit: Cùmque vacuatio fieri possit tum per sanguinis missionem, tum etiam per auxilia purgantia, perpendendum est an corpus laborantis plethoricum sit, immunè-

que ab omni succo vitioso, vel cacochymia laboret per peccatum in qualitate alicujus humoris, id est, per succum aliquem vitiosum influentem in ulceratam particulam. Si primum accidat, evacuatio fiet per venæ sectionem quâ dematur plenitudo: Si verò secundùm adfit, præter venæ sectionem, ad auxilium expurgans tanquam ad sacrum recurrere debemus: his enim majoribus auxiliis antecedens materia evacuat, & à particula ulceratur avertitur, indeque breviori tempore ulcus ad consolidationem pervenit.

Cæterùm, summâ curâ rimandum erit cujus naturæ sit succus vitiosus influens, cacochymicum reddens corpus, & ulcus ægrè sanabile per illius defluxum; nam si biliosum sit & acre, cholagogis purgantibus educi debet; si pituitosus, phlegmagogis; si atrabilatius sit, & melancholicus, melanagogis etiam uti convenit. Horum autem copiam, & potiones peculiare adduximus *tractu de Tumoribus in particula in eorum medicatione*. Quare illinc inde transferre quisque poterit; præterquam quòd inferiùs constabit cujusque humoris peccantis accommodatum auxilium expurgans, dum de ulceribus in particulari agemus. Præter hæc auxilia majora competunt etiam reliqua divertentia auxilia, quâ inhibent Antecedentem materiam, ipsamque avertunt à loco ulcerato oppositarum; nec non etiam repellentia competunt medicamenta, circa locum ulceratum ad fluxionem intercipientam hujusmodi autem auxilia varia sunt, & quamplurima, de quibus passim Authores mentionem faciunt; at quia hæc ad peculiarem medelam attinent, omittimus.

Tertiam curativam intentionem absolvemus juxta diversam naturam symptomatum, & dispositionum cum ulcere conjunctorum; etenim quandoque adest intemperies, quandoque dolor, quandoque tumor, seu apostema, quandoque contusio, sæpenumerò etiam labiorum durities, ossis caries, vel virulentum excrementum, vel sordes, vel cavitas, aut sinus, & alia quamplurima complicata videmus quæ summoperè medelam evariant. Quapropter Galenica methodo præcipuas accidentium cum ulcere complicationes adducemus, & medicationis modum, ut inde nihil intactum relinquamus. Et tandem quarta, & ultima completur indicatio per exsiccantia, & detergentia auxilia ad ablationem tenuium, & crassorum excrementorum, quæ in ulcere consolidationem, & unionem impediunt.

Verùm enim verò, si intemperies cum ulcere conjungatur, tollitur universalibus auxiliis qualicumque ea sit, nimirum debita victus ratione, purgatione si sit cum humore conjuncta, & omni genere revulsions, localibus etiam auxiliis; ità ut si sit calida, sive nuda, sive cum affluxu humoris, emendanda erit unguento albo, vel unguento tuthiæ, vel de plumbo, vel de cerussa, & aqua rosacea, & succo plantaginis, solani, & sempervivi. Cæterùm si sit frigida intemperies, tollitur fotu rerum calidarum ut ex vino calido, aut in quo concoxerit absinthium, aut pulegium; aut rosmarinus, aut hujus generis similia, vel unguento Citrino, aut de althæa, aut lixivio cum alumine: Deinde si humida cum ulcere complicitur intemperies, exsiccantibus medicamentis erit emendanda, qualia

qualia sunt unguentum tuthæ, de plumbo, de cerusa, de gratia Dei, habitæ semper ratione humoris peccantis, & partis affectæ, ratione cujus exsicantia majora vel remissiora competunt. Denique sicca intemperies reducitur foci aquæ calidæ, Galeno Authore 4. *Methodi*, vel unguento basilicone, vel unguento de pice, & similibus.

Præterà, si dolor cum ulcere adsit, qui frequentius excitatur ab intemperie calida, & humorum acrimonia, & corrosione; tunc suppositis communibus, & universalibus remediis, conferunt valde succus plantaginis, solani, sempervivi, hyoscyami, & similes. Prodest etiam ovi albumen, vel ovum integrum cum oleo rosaceo: Similiter prodest cataplasma, ex malvis, plantagine, & fursure coctis, oleoque rosaceo commixtis, vel unguenti populeonis ꝑ. β. cum ꝑ. j. olei de vitellis ovorum, vel unguenta quæ competere diximus in calidâ intemperie.

Porro si quandoque dolor ab intemperie frigida procedat, eisdem utemur remediis quæ in intemperie frigida convenire prædicavimus: Competunt etiam anodyna omnia remedia quæ leniendo dolorem sedare valent: ea sunt pinguedo gallinæ, anseris, suilla, mucilagines etiam seminis lini, fœnugræci, althæ, & malvarum, & ejus decoctiones. Verùm accidit sæpenumerò ut omnibus his tentatis auxiliis dolor non sederet, quare ad narcotica remedia accedendum erit necessariò, quæ auferendo sensum partis, dolorem minuunt, propterea enim stupefacientia dicuntur. Sic ergo cataplasma conficies ex farina hordei, oleo rosaceo, & mandragoræ cum lacte coctis aut ex mica panis in aqua infusa cum oleo rosaceo, vitellis ovorum, & croco, quibus addendum erit necessariò opij ꝑ. β. Aliud emplastrum conficitur ex foliis mandragoræ vel hyoscyami, vel papaveris albi cum pulvere chammæ vel applicabitur philonium, aut theriaca recens, vel oleum de papavere, vel mandragoræ, vel hypocyami cum opio; prodest etiam oleum de ranis.

Si tamen Tumor cum ulcere ob dolorem aut aliquid aliud acciderit, conjectandum erit an dolor sit occasio tumoris, & tunc lenientibus, & dolorem sedantibus auxiliis uti convenit, de quibus superius abundè diximus: Verùm, si ob abundantiam humorum defluxus accidat, venæ sectio erit opportunum remedium: nec non frictiones, ligaturæ, cucurbitulæ, & omnia genera auxiliorum quæ humorem avertunt à particula affecta. Quod si qualitate peccantes succi sint, operæpretium erit ad purgantia medicamenta recurrere, iis enim remediorum generibus causæ Antecedenti satisfacimus. Conjunctæ verò etiam occurrere debemus primò repercutientibus dum fluxio est in principio; deinde dum limina augmenti tangit Tumor, mixta competunt remedia, & resolutiva scilicet cum percussivis, hæc tamen in majori mensura. Pari cursu in statu æqualia percussiva cum resolutivis imponimus, & tandem in declinatione ut reliquias digeramus solùm utimur resolutivis. Si tamen accidat, quòd Tumor ad suppurationem inclinet, juvandus erit suppurationibus medicamentis, de quibus omnibus fusè egimus *nostris tractationibus de Tumoribus in particulari, eorundemque medicatione*, sic in præsentiatum, meritò ab eorum enarratione superfedemus.

Accedit etiam sæpenumerò, ut ulcus sit confusum, in quo eventu illicò recurrendum est ad humectantia, seu pus generantia auxilia, eò quòd illa caro minimè possit aliter reduci ad naturalem statum, & temperiem, sic suppurantibus communibus uti oportet, qualia sunt tripharmacum Galeni, vel usuale quod in Officinis servatur, aut triticum in aqua calida diutissimè maceratum, & coctum; vel denique fiat cataplasma ex radicibus althæ, & cæricis simul coctis ad mellis crassitiam cum farina triticea.

Carnis etiam excrementia solet cum ulcere complicari quæ ablationem statim exposcit; sit autem hujusmodi opus vel cum cauterio, vel novaculâ, vel forcipibus ignitis; verùm quia hujuscemodi auxilia valde terrene solent, communiter medicamentis corrodentibus quæ quàm minimum fieri poterit mordicent uti consuevimus, ex quibus imbecilliora sunt, alumen ustum, mixtum cum bolo vel sine ipso, aqua etiam vitæ cum sulphurea, unguentum Apollolorum, semen urticæ, serpentaria. Paulò verò vehementiora sunt pulvis Mercurij solus vel mixtus alumini ustò ad partes æquales, unguentum ægyptiacum. Denique vehementissima sunt medicamenta ad carnis excrementiam demendam, calx viva, calchantum ustum, sublimatum, hydrargyrum. Sequens etiam medicamentum optimum est.

℞. Hydrargyri sublimati, ꝑ. ij. aluminis crudi, ꝑ. v. aquæ rosar. vel plantag. ꝑ. vj. bulliant ad consumptionem quartæ partis, hæc enim aqua mirabilem efficit operationem.

Cùm verò hæc admoventur, debet etiam unguentum de bolo armeno locis vicinis applicari, quoniam poterit aliàs nova defluxio concitari in particulam affectam.

Solet etiam Ulcus esse decolor cum labiorum duritie; tunc si exigua sit durities, emollientibus, & resolventibus auxiliis utendum, qualia sunt pinguedo gallinæ, anseris, anatis, vituli, bovis, ex quibus quæ recentes sunt magis laudantur: miro etiam modo conducit emplastrum filij Zachariæ; profunt etiam olea lilior. amygdalar. dulc. & lumbricor. mucilagines etiam althæ. seminis lini, fœnugræci, omnia gummi genera. Porro si mitioribus durities non cedat, ad valentiora recurrendum, labia ulceris scarificando, & pulvere Mercurij aspergendo, & insuper aliquod ex dictis medicamentis applicando, vel cauterium; aut si velimus, possunt duritiam cum novacula præcindere, vel remedia erodentia valentiora apponere ex his quæ supra proposuimus, ad quorum administrationem animus ægrotantis, & partis affectæ situm tentare, ac rimari est necessum, aliàs plura sequentur incommoda.

Varices etiam ulcera antecedere aut supervenire solent, quæ ante ulcus meditationem expostulant: id tamen fiet primò victu conducente ad generationem laudabilis sanguinis. Deinde venæ sectione, ex basilica vena, insuper præparatione humoris melancholici, & denique ejusdem expurgatione per ea auxilia quæ è directo hujusmodi succum respiciant: de quibus *nostris tractationibus de Tumor. in particul. curatione, cap. de Scirrho* abundè egimus.

Præter hæc etiam topica seu localia remedia varicibus sunt imponenda, quæ initio roborantia, & adstringentia esse debent, ex bolo Armen.

terrà Lemniâ, nucibus cupressi, gallis, acaciâ, quibus addentur, thus, & fatina hordei: sùntque ex his fotus, & cataplasmata, quæ etiam cum ovi albumine, & aceto commisceri possunt: Prodest etiam emplastrum contra rupturam. Cæterum si dictis auxiliis varix non cedat, cutis est præscindenda, varix aperienda, sanguisque ex ea ducendus, & infra, & supra liganda vena, & utriusque fini cauterium applicandum. Minori tamen labore, & virium dispendio solent Chirurgi acu recurvâ acum traducere sub vena, câmq; ligare ac filium relinquere donec ex se cadat. Ultimò ad discutiendum humorem in parte contentum utimur fotu ex lixivio: Attamen si varices sunt diuturnæ tutum non est accedere ad medelam, nec medicamentis, nec Chirurgiâ, quemadmodum nec hæmorrhoides inveteratas curare, nisi ægrotus temperatè vivat, & frequentè utatur purgatione, necnon venæ sectione.

Ulceri etiam si conjungatur ossis caries seu corruptio, præmissis universalibus auxiliis os denudandum est à carne: quo facto si ossis corruptio sit tantum superficialis, ipsum est eradendum donec aliquid cruoris appareat, idque optimum est, præcipuè in Ulceribus capitis, & membrorum quæ partibus principalibus sunt proptinquâ, & proximè juncturas, & spinam dorsi; postea verò sequens medicamentum est imponendum.

℞. Aristoloch. rotund. ireos, & peucedani, corticis panacis, & pini, thuris, & aloës, an. ʒ. ij. fiat pulvis tenuis, qui melle excipiatur, vel cum unguento ægyptiaco misceatur, & emplastrum diachalcitis superponatur.

Si verò caries sit profundior, & ferro radi non possit, fiat sequens injectio.

℞. Rad. aristoloch. utriusque, irid. Florent. centaurij minoris, ana ʒ. j. β. agarici ʒ. iij. hyper. pedis columbini, & herbæ Roberti, ana m. j. corticis pini ʒ. ij. rosar. rubrar. & anthos, ana p. β. mellis rosacei colati quart. j. irrorentur omnia vino albo, & destillentur in alembico plumbeo, & aqua illa stillatitia, bis in die iniiciatur.

Porro, si caries aut corruptio fuerit magna, nihil cauterio præstantius esse potest; etenim citò, & tutò usque ad profundum locum exsiccat. Quòd si caries profundior adhuc fuerit, post usum primi cauterij ut ea faciliùs decidat, terebrâ erit multis foraminibus aperienda usque ad os sanum, & integrum, donec cruoris aliquid appareat; in eâque foramina demittenda cauteria, vel aquâ forti erunt adimplenda; hoc enim modo exsiccabitur os, & paularim cariem expellet.

Cæterum post applicatum cauterium primis tribus diebus ut eschara decidat, rosaceum calens cum ovi albumine infundendum; aliis tribus diebus sequentibus digestivam ex ovi vitello, & rosaceo, deinde butyrum cum melle. Denique reliquò medicationis tempore ossis corruptio sequenti aqua contingetur.

℞. Aquæ vitæ ter distillatæ, & aquæ rosaceæ, an ʒ. iij. sublimati ʒ. j. bulliant lento igne ad sublimati dissolutionem, & in vase vitreo serventur aqua ad ralem usum: postea verò liniatur os unguento ægyptiaco, & superponatur emplastrum diachalciteos, aut applicetur sequens emplastrum.

℞. Corticis ovorum, ossium humanorum, & panni combustor. & in pulverem redactor, an. ʒ. ij. radicis peucedani, & lumbricor. pulverifactor. ana ʒ. β. emplastri de Gratia Dei, diachylonis communis, & picis navalis, an ʒ. ij. misceantur omnia, & fiat Massa, & applicetur post ablutionem.

Si verò ad eum statum caries perveniat, ut ad medullam ossis perveniat, unicum est remedium præcisio ipsius nisi fuerit in capite aut spina dorsi.

CAPUT VI.

De Ulceribus malignis.

ACcidit sæpenumerò ut Ulcera sint maligna quæ cacoëthe vocantur, & ab humoribus succisque pravis, & maligna corruptione infectis oriuntur, frequentèque in corporibus lue venerea correptis inveniuntur, de quibus in præsentiarum speciale caput instituerè decrevi, quoniam specialem medendi methodum exposcent. Quare dum ad eorum medelam accedimus, primò Causæ Antecedenti occurrere debemus, cui si sit plethora per sanguinis missionem, si cacoehymia per expurgationem, juxta variationem humoris vitiosi; quòd si totius corporis intemperies, vel hepatis, vel lienis, vel ventriculi sit occasio hujuscemodi Ulcerum, tunc procul dubio primò curantis consilium dirigi debet ad reductionem intemperiei partis affectæ, quòd fiet rum universalibus auxiliis, tum etiam victus debita institutione, & localium remediorum applicatione, quæ è directo intemperiei opponantur, & tandem ad topica auxilia quæ Ulceribus competunt ad eorum consolidationem deveniendum.

Summus igitur Ulcerum curandorum ac difficile cicatricem recipientium curationis scopus, erit vehemens exsiccatio citra corrosionem, aut morsum, quæ fiet usu adstringentium auxiliorum, & per auxilia metallica lota. Quâ ratione primò abluatur Ulcus sequenti aquâ stillatitiâ.

℞. Succu agrimonie, solani, plantag. an. lb. β. vini albi ʒ. iij. aluminis crudi, ʒ. iij. auripigmenti ʒ. β. albumina vj. ovorum, agitentur omnia simul, & distillentur. Deinde sequenti linimento unguatur Ulcus.

℞. Olei rosac. ʒ. iij. cerusæ ʒ. ij. lithargyri aur. ʒ. j. tuthiæ præparatæ, boli Armen. an. ʒ. j. caphuræ dissolutæ in aqua rosacea ʒ. ij. olei papaveris ʒ. ij. cæræ albæ quantum sufficit, fiat unguentum.

Denique sequenti auxilio utemur.

℞. Olei rosac. & myrtini, ana ʒ. ij. β. succi solani, plantaginis, & sempervivi ana ʒ. j. β. sevi hire. & vitul. ana ʒ. ij. pingued. suillæ liquefactæ ʒ. iij. aluminis crudi, calcis ter in aqua extinctæ, & lotæ, ana ʒ. vj. malicorij, balustiorum, mirabolano. citrinor. ana ʒ. viij. ærginæ rasilis ʒ. v. scorix ferri ʒ. x. confusa omnia, & simul mixta infundantur omnia per diem integrum, & bulliant modicum, & adde litharg. utriusque, ana ʒ. x. cerusæ ʒ. vj. plumbi ulsi ʒ. v. antimonij ʒ. j. caphur. ʒ. j. cæræ quantum sufficit, agitentur omnia diligenter in mortario marmoreo.

312 Disp. I. De ulceribus in communi.

marmoreo. Quo linimento mirabiliter ulcera maligna cicatrizantur, & ad consolidationem perducuntur.

Sæpè etiam accidit, quòd ulcus sit virulentum, corrosivum, ac depascens, quæ omnia ulcerum genera, solum secundum magis, & minus discriminantur, & sic ferè eandem indicant medicationem præ oculis quotidie habendam, quæ quidem tribus complebitur, primò quidem victu frigido & sicco; secundò evacuatione antecedentis materiei, tum per venæ sectionem si videatur profutura; tum etiam per medicamenta expurgantia, quemadmodum in nostris tractationibus docuimus in *medela Herpetum excedentium, & Erysipelatis*. Particulares etiam revulsiones conferent, tum cucurbitulis, frictionibus, tum ligaturis partium oppositarum. Tertiùs scopus ad topica refertur quæ componuntur ex frigidis, siccis, adstringentibus, & discutientibus medicamentis, quorum simplicia sunt lentes, plantago, solanum, summitates rubi, folia ulmi & papaveris, folia & fructus cotoneorum, & myrti, balauſtia, cortex granatorum, galla, plumbum ustum & lotum, ac metallica omnia, superioribus auxiliis descripta. Ex quibus omnibus, & similibus aliis formantur fofus, linimenta, unguenta, cerata & emplastra; & primò quidem in talium Ulcerum medela iccipiunt nonnulli per applicationem pulveris Mercurij ad auferendam Ulceris malitiam, & corrosionem, quem volunt diem integrum in Ulcere manere, ac superponi unguentum de minio donec Ulceris malitia extincta fuerit. Deinde verò Ulcus fovent, & vicinas particulas aquâ aluminosâ superius dicta, vel sequenti.

℞. Succij rubi, sumach, virgæ pastoris, plantag. solani, acetosæ, an. quart. ʒ. albumina ovorum vj. aluminis in pulverem redacti ʒ. iiij. distillentur omnia in alembico, & lavetur Ulcus.

Deinde sequens aqua stillatitia optima censetur corrodentibus ac sordidis Ulceribus.

℞. Cerusæ, lithurg. an. ʒ. j. plumbi uſti ʒ. ʒ. boli armeni ʒ. j. sanguinis dracon. terræ sigill. an. ʒ. j. aluminis combusti ʒ. ʒ. gallarum viridium, baccharum myrti, balauſtiorum, sumach, ana manip. j. coriandi, seminis plantaginis ana ʒ. ʒ. rosarum rubrarum p. ij. bulliant omnia in f. q. aquæ fabrorum, & cum omnia subsederint ulcus eâ aquâ lavetur, & foveatur, quæ summo perè desiccare valet. At si videatur magna intemperies calida cum Ulcere conjuncta, his addere oportebit vel hyoscyam. in decoctione, vel papaver, aut mandragoram, & etiam mel ad detersionem addemus in ulcere sordido. Vel si malaeris sequenti auxilio bene se habebit ægotans.

℞. Aquæ plantaginis, & rosarum, ana quart. j. aluminis ʒ. ij. sacchari ʒ. j. bulliant simul donec alumen ac saccharum liqueſcant, & lavetur ulcus, & si addideris mellis ʒ. j. proderit quoque sordidis ulceribus.

Post ulceris ablutionem admovendum unguentum de minio, vel de plumbo, vel unguentum rubrum cum caphura, vel unguentum de tuthia, aut album cum caphura. Vel si mavis.

℞. Unguenti de plumbo ʒ. ij. unguenti populeonis ʒ. ij. succi plantaginis ʒ. j. albi ovi, n. j. agitentur diligenter in mortario plumbeo.

aliud unguentum non minùs efficax conficitur sic.

℞. Tuthiæ præpar. ʒ. ʒ. plumbi uſti & loti, cerusæ lotæ an. ʒ. j. nutriantur in mortario plumbeo cum aqua plantaginis, deinde adde boli Armeni, & terræ sigillatæ an. ʒ. ij. olei rosacæ, & ceræ albæ, quod sufficiat ut fiat unguentum.

Cæterùm, si ulcus his, & aliis similibus auxiliis non cedat, immò potiùs magis ac magis serpat, cauterio erit utendum, vel sequenti caustico auxilio.

℞. Sublimati ʒ. ij. ʒ. unguenti populeonis, vel dialthæ. ʒ. j. Misceatur sublimatum cum unguento albo misceatur. Postèa verò casum escharæ erit conveniens uti unguentis de calce & de tuthia simul mixtis in æquis partibus.

CAPVT VII.

de Sordido ac putri Ulcere.

Sordidum & putridum ulcus primò indicat universalialia remedia, qualia sunt victùs debita institutio venæ sectio, & expurgatio, juxta humorum peccantium ideam, nec non etiam speciatim exposcit ligni guaiaci usum, tum ut corporis recrementa exsiccentur, tum etiam ut per sudores exciantur, nec tam facilè in locum influant affectum.

Localia verò seu topica auxilia quæ in hac specie ulceris competunt, quamplurima sunt, ex quibus inter simplicia enumerantur farina hordei, fabarum, cicerum, orobi, lupinorum, aristolochia, iris, centaurium minus, cujus succus cum melle paratur, maxime ad ulcera sordida penis & ani; marrubium, gentiana, absinthium, apium, mel, & omnia amara, falsa, & nitrosa, ex quibus fiunt lotiones, linimenta, & unguenta, sordes erit abluenda hydromelite, vel aquâ marinâ, vel lixivio ex ʒ. iiij. cineris caulium, & corticis fabarum cum ʒ. j. aquæ pluvialis; aut si mavis lava ulcus decoctione Rhois, balauſtiorum, corticum, mirobalanorum citrinorum, rosarum, & mellis, cui addere poterimus alumen. Cæterùm, animadvertere oportet ne in sordido ulcere imprudenter adstringentibus auxiliis utamur, quandoquidem sorditiem hujusmodi medicamenta magis incrassant, quo fit ut postèa difficiliùs detergeatur, fortior erit fofus ex lixivio in quo sit dissolutum ægyptiacum, & deinde proderit valde ægyptiacum solum aut permixtum cum unguento Regis pro magnitudine sorditiei.

Miro modo sequens auxilium mundificat sordes.

℞. Succij apij, & mellis communis, an. ʒ. iiij. terebinth. ʒ. ij. pulveris ireos exsiccatæ ʒ. vj. farinæ hordei ʒ. iiij. fiat unguentum.

Sequens etiam auxilium eandem habet prærogativam.

℞. Succij absinth. apij, & plantaginis, an. ʒ. ij. farinæ hordei, & orobi, an. ʒ. j. ʒ. terebinth. ʒ. j. mellis quod sufficit fiat unguentum, adde myrthæ ʒ. iiij. aut ejus loco ovi vitellos, si velis adducere præstans auxilium ad vomicam apertam.

Porro, interdum accidere solet, ut sordes in putredinem degeneret, quo eventu ulcus abluendum erit oxycrato, vel muriâ, & deinde excarnibus piscium salforum, farinâ orobi aristolochiâ

lochîa longâ, & melle in vino coctis in forma emplastri est applicanda, vel unguentum ægyptiacum quod in Ulcere profundo poterit applicari dilutum in lixivio, aut in decoctione præcedenti. Avicenna autem sequenti utitur auxilio.

℥. Tragaganthi rubri (quod auripigmentum vocant) ℥ i. calcis vivæ, aluminis, corticis mali punicii, an. ℥ vj. thuris, gallar. an. ℥ β ceræ, & olei, ana quantum sufficit, fiat unguentum.

Dum verò vehementioribus utimur auxiliis ad detersionem in ambitu Ulceris admovendum erit unguentum de bolo Armeno ad cohibendam fluxionem, quæ ex nimio dolore poterit excitari. At si contigerit præfata Ulcera depascencia sint, ita ut adjacentes partes magis ac magis erodant, medicamentis, malignis Ulceribus propriis indigebunt, ac nonnunquam excisione ejus quod putre est atque corruptum. Id autem fiet cum ferro ignito, aut acri medicamento, qualis est Trochiscus de arsenico, aut ex sequenti medicamine in forma solida poterunt formari penicilli.

℥ Terebinth. lotæ ℥ β ceræ albæ ℥ ij. liquefiant simul deinde ad sublimati ℥ j. agitentur omnia donec refrigerint. Et denique si hæc omnia satis non sint; ad curationem Gangrænæ confugere debemus, de qua nostris præcedentibus tractationibus abundè egimus.

Si tamen accidat hujuscemodi Ulcus aut quodlibet aliud esse profundum, & sinuosum; præter universalis auxilia quoad topica attinet auxilia, pars affecta ita erit collocanda, ut Ulceris orificium supernè deorsum tendat, ut inde facilè pus effluat, & si id fieri non possit; aut ab orificio usque ad fundum Ulcus scindendum, maximè quando cavitas est cuti proxima, aut si imminens periculum id prohibeat in fundo est aperiendum, indèque in sinus, & cavitates fieri debent injectiones ex detergentibus, & siccantibus. Proderunt itaque oxymel, vinum adstringens, aqua aluminosa cum melle, lixivium, aqua marina; ægyptiacum in lixivio, & melle dissolutum, addito etiam pulvere Mercurij; aut Utemur sequenti medicamine.

℥ Aquæ plantaginis, peculi. rosar. & caprifolij, ana ℥ ij. unguenti ægyptiaci ℥ j. β. fiat injectio in sinus Ulceris. Vel.

℥. Hordei integri p. j. ceterac, agrimonîæ, ana m. j. centaurij minoris, absinth. an. m. β. coquantur omnia in melicrato, & fiat injectio.

Verumtamen si Ulcus satis deterfum videatur, utemur sequenti auxilio ad substantiæ deperditæ regenerationem.

℥ Hordei p. j. β Radic. ireos, folior. olivæ, plantaginis, agrim. ana m. β coquantur in aqua, & in ℥ β colaturæ dissolve mellis rosac. colati ℥ ij. myrth. ℥ ij. β thuris, masticis, ana ℥ j. myrthæ ℥ β terebinth. lotæ ℥ j. β. olei hyperici quod sufficit, fiat unguentum. Deinde superponemus emplastrum de Minio, vel Apostolicum Chirurgicum, vel diacalciteos, cui ad exsiccationem, & adstrictionem augendam miscere poterimus nonnihil calcitidis, corticis granatorum, & gallarum in pulverem redactarum. Intereà verò vicinas partes munemus auxilio partim repellente, partim discutiente, aut fovebimus sequenti decoctione.

℥ Calamenth. origa. salviæ, matricariæ, absinth. & rorismarini, an. m. j. chamæmeli, stæchados, & rosar. rubrar, an. m. j. nucum cupressi num. x. salis ℥ ij. aluminis ℥ ij. mellis

Henriquez Laureæ Medica Tom. I.

℥. j. bulliant in lixivio, & austero vino ad tertiam partem, & fiat fotus.

Admovendæ etiam erunt turundæ plumbeæ in formam cannulæ ut pus effluat, nec non etiam ligatura exprimens superponatur, ut nihil extraneæ substantiæ, nec superfluitatis residuum permaneat in sinu Ulcerum, indèque meliùs atque citiùs carnis regeneratio succedat.

CAP V T VLTIM V M.

De Fistula, Ulcerato Cancro, Ulcere verminoso, & Combustione.

Fistula vel poterit esse recens, vel antiqua: si recens, conferunt injectiones quemadmodum in Ulcere sinuoso, omnia tamen exsiccantia auxilia competunt quæ humidam substantiam superfluum continud emanantem absument. Quare meritò post victus debitam institutionem, necnon etiam post cætera Universalia medicamenta majora, qualia sunt sanguinis missio, & expurgatio juxta humorum peccantium ideam, sequentibus topicis, seu localibus utemur auxiliis.

℥ Decocti agrimonîæ, & foliorum olivæ ℥ β in qua dissolve ægyptiacum, aut unguentum Apostolorum. Aut.

℥ Lixivij ex cineribus brassicæ, & corticum fabar. ℥ iiij. adde mellis rosac. ℥ j. β alumin. ℥ β bulliant modicum; deinde accipe prædictæ ebullitionis ℥ iii. pulveris præcipit. ℥. β & fiat injectio. Aut utere aquâ stillatitiâ, stercoreis humani, quæ mito modo in fistula prodesse vidimus: Aliud efficax auxilium.

℥ Terebinth. ℥ j. thuris ℥ ij. masticæ, aloës, gatyoph. galangæ, cinamoni, nucis moscatæ, & croci, an. ℥ j. gummi hæderæ ℥ vj. irrigentur vino albo, & aqua vitæ, & deinde distillentur, & aqua stillatitia injiciatur in Fistulam, post injectionem admoveatur, vel emplastrum Divinum, vel de Gratia Dei.

Cæterum, si Fistula inveterata fuerit, ejusque orificium angustum, ipsum erit dilatandum penicillo, vel turunda ex gentiana, vel trochiscis de minio, vel spongiâ quæ modo sequenti præparabitur.

℥ Ceræ, resinæ, an. ℥ j. sublimati ℥ j. liquefcat cera cum resina, sublimatum postea adde, deinde imbue spongiam eâ mixtione, statimque ipsam extrahe ne comburatur, & exprime diligenter.

Porro postquam orificium sit satis dilatatum fistula extirpanda erit, aut acrioribus medicamentis, aut scissione, vel cauterio, vel infundo incidatur, & postea applicetur cauterium. Auxilia verò quæ fistulam absument sunt trochisci asphodeli, auripigmentum, sublimatum, arsenicum, vel trochisci de arsenico. Tempore verò applicationis, Ulceris ambitus erit muniendus unguento de bolo armeno, ne sequatur inflammatio ex nimio dolore excitato vi horum auxiliorum.

Attamen quando tutum non est nec scindere fistulam, neque applicare cauterium, sient acres injectiones cum aqua forti, aut aliquo ex causticis supra scriptis. Post usum verò cauterij, aut acrium auxiliorum, danda erit opera ut eschara

D d decidat,

decidat, & postquam callus sit sublatus, ulcus abluetur mulso, & deinde imponemus medicamentum carnem generans, ut in ulcere sinuoso. Quando denique non videtur congruum scindere callum, nec uti cauterio, nec acibus auxiliis, tantum supererit, ut fiat purgatio pituitæ aut melancholiæ, & deinde utemur topicis moderate exsiccantibus, & admovendum emplastrum diachylon.

Cancer verò si ulceratus sit, curabitur eisdem auxiliis universalibus, quibus Tumorem cancerosum curavimus, disputationibus nostris. Topica verò auxilia erunt sequentia. Imprimis si cancer sit in externa corporis parte, ita ut possit cum suis radicibus tuto extirpari, illico novacula est scindendus, & sanguis deinde crassus exprimendus, & prosequenda medela ulceris ut alia quælibet. Verum non desuere aliqui qui post scissionem utantur causticis auxiliis, aut cauterio ad absumendam humiditatem; inter medicamenta autem caustica arsenicum principatum tenet. Interea tamen loca vicina unguento de bolo lenienda: & deinde ut eschara decidat tentare licebit.

Porro, si Cancer sit magnus, valdeque infiltratus, & in partibus interioribus, aut juxta principem aliquam partem. Vel ob aliam causam ægrotus pati non possit scissionem, tunc utique ab ea abstinendum est, & satisfecerimus si canceri augmentum impediamus purgatione, & vitæ debita institutione. Topica verò auxilia ad id conducentia sunt succus solani, & acetosæ, aut aqua stillaritia, plumbum etiam, antimonium, & alia exsiccantia, & refrigerantia: qualia sunt unguentum album, de plumbo, de litharg, aut de tuthia: aut,

℞ Cerusæ ustæ, & quinques in aqua rosacea lotæ, plumbi usti, & loti, an ℥ j. tuth præparat ℥ ℞ litharg. nutriti ℥ iij. succorum solani, sempervivi & hyoscyami, an ℥ j. lactis sem-papaver cum aqua rosacea extracti ℥ ij. lactis muliebris ℥ j. olei rosac. ℥ iij. ceræ albæ ℥ j. fiat unguentum ex arte.

Insuper nonnulli lavant quotidie ulcus vino in quo taphus barbatus coctus sit: Alij aquis solani, plantaginis, rosarum, cortice mitobalanor. cum modico. aluminis aliquantulum coctis, postea succum solani in mortario plumbeo agitant usque ad formam linimenti.

Deinde vermium generatio in Ulceribus prohibetur prohibendo putredinem ex qua generantur: actuales verò vermes interficiemus succis, vel decoctis absinthi eupatorij, centaurij, marrubij, & similibus herbarum amararum: Millefolium quoque laudatur ad vermes necandos, cujus ℥ j. datur pueris in vino ad vermes ventriculi occidendos; & major quantitas datur grandioribus; & ad vermes aurius eadem fiunt injectiones.

Denique combustio si sit magna, auxilia exposcit universalia juxta humores peccantes. Quoad topica, pars usta est igni offerenda, ut calor calorem trahat & ut bullæ non excitentur, applicantur etiam cæpæ cum sale, communia sunt remedia aqua rosacea, vel solani, vel endiviæ cum ovi albumine diu agitata; acetum autem non probamus ob acrimoniam; profunt etiam unguentum album, & rubrum cum caphura, albumine ovi, & aqua rosacea, & alia similia. Inducta jam cicatrice, quotidie ipsam oleo de vitellis ovorum oblinito. Et hæc de hoc Tractatu.

M O N I T V M.

Hanc de Spiritibus Disquisitionem quæ de Humoribus Tractatum excipere debuisset, (ut ordo Physiologicus postulabat) quia justo tardiùs ab Authore accepimus, properante prælo, hinc apponere necessum fuit.

TRACTATUS

DE SPIRITIBVS.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Spiritus.

SPIRITVS nomen in aliis Disciplinis, & in Medicina varias habet significaciones; quandoque enim aërem, vel ventum significat, ut ex *Capite 4. lib. de Mundo* constat: interdum verò aërem, qui respiratione attrahitur, & expellitur, imò & ipsam respirationem; & hæc significatio Hippocrati satis familiaris est. Similiter significat difficultatem spirandi. Sæpè etiam flatus in corpore per spiritum explicantur; nec non exhalationes, aut vapores à corpore aliquo quomodocunque resolutos.

Cæterùm, hoc loco pro instituto nostro spiritus dicitur corpus tenuissimum, & levisimum, calidum, & purissimum ex tenuissima, & maxime sincera sanguinis parte genitum, actionumque edendarum necessarium instrumentum; quâ ratione Galenus 3. *de facultatibus naturalibus*, cap. 14. naturam spiritus describit per hæc verba. *Spiritus est corpus tenuissimum, & levisimum eorum que in nostro corpore sunt.* Itaque spiritus natura, prout ad nostrum institutum attinet, minimè contraponitur rei corporeæ: Cæterùm, dicitur spiritus, comparatione factâ ad alias substantias nostri corporis, quæ quia carent illa tenuitate, quâ pollent spiritus, ratione cuius imperceptibiles dicuntur, ab illis segregantur, quoniam recedere videntur à corporeitate; non quidem quia reverà non sint corporei.

Est insuper spiritus, primum, & præcipuum instrumentum, quod in partibus principalibus confectum per suos canales in membra influit, & facultates conservat, & ut ad actum secundum accedere possint, efficit: Vnde ubi partes destituuntur spiritibus, vitâ, ac sensu privantur, non quidem in actu primo, sed in actu secundo, eò quod deficit præcipuum instrumentum, medio quo facultates operantur.

Ex his constat spiritus facile moveri, & disseminari per totum corpus propter ipsorum nempè tenuitatem, & levitatem, quâ ratione Hippocrates 6. *Epidem parte 8. text. 7.* ait tria esse in nostro corpore; continentia, contenta, & impetum facientia. Vbi per impetum facientia intelligunt omnes Expositores *Spiritus*; Henriquez *Laureæ Medicæ Tom. 1.*

propter insignem ipsorum mobilitatem; ita deque Galenus, *libr. 1. de different. febr. capite 1.* triplex genus febrium constituit, quorum unum vocat diariam febrem, ex eo quod calor sit ultimatus in spiritibus, de quo satis abundè egimus *nostro Tomo 2. pro Doctorali Laurea Complurisi*: Ex quibus etiam licet colligere juxta Antiquorum opinionem certissimum esse spiritus, dari in nostro corpore. Tamen si forsân aliqui id negare ausi fuerint, audiant Galenum 12. *Method. capite 5.* de syncope sic fantem. *Vrium robur certam quantitatem, & qualitatem spirituum postulat.*

Liquet jam spiritus concessisse Galenum in nostro corpore, à quibus vita fovetur: non tamen adducitur ratio, quæ nos suadeat, spiritus dari, & ob id Argenterius *libr. 2. de Somno, & Vigilia, cap. 6.* capit Galenum. Fernelius rationem adducere intendit *lib. 4. Physiologia, cap. 2.* propter distantiam animæ cum corpore, ut scilicet inter se uniantur, mediis spiritibus; quâ admittâ doctrinâ probant aliqui necessitatem spirituum in corpore; nam illud, quo ablato tollitur unio aliquorum, & posito ponitur, videtur esse medium unionis; sed deficiente spiritu, separatur anima à corpore, quæ antea erat unita. Ergo spiritus est medium, & vinculum, quo anima unitur corpori.

Cæterùm, Fernelij fundamentum minimè convincit; nam etsi distantia inter materiam, & formam sit maxima: tamen cum altera se habeat ut potentia, altera ut actus, non indigent, necessariò spiritibus, ut uniantur; imò in opinione sancti Thomæ, nullum vinculum est necessarium inter materiam, & formam. Sic 1. *parte, quest. 76. artic. 7.* rationem adducit, quia anima dat esse actu per suam essentiam. Ergo immediatè tribuit materiæ esse actu. Priùs autem Philosophus hanc doctrinam insinuavit 2. *lib. de Anima, cap. 1.* ubi ait. *Idcirco non querere oportet si unum sit anima, atque corpus, sicut neque ceram, & figuram, neque omninò materiam cujusque, & id cujus materies est.* Constat autem figuram immediatè uniri ceræ: Ergo etiam anima corpori. Hanc opinionem sequitur tota Thomistarum Schola. Præterquam quod etiamsi concedamus, formam uniri materiæ, medio vinculo substantiali, modo scilicet unionis distincto à materia, & forma (quod verius semper in Philosophia judicavi) Nihilominus non indè inferitur, talem modum unionis spirituum esse: Neque ratio id convincit, nam licet verum sit, ablato spiritu, auferri tandem unionem

An sint plures species Spirituum

animæ, & corporis, & vitam deficere, inde tamen non licet colligere, esse medium unitivum; sed esse dispositionem requisitam necessariam ad operandum, necnon etiam pro vita, & sic spiritibus deficientibus deficit forma. Et forsan juxta hunc sensum vocavit Fernelius spiritum vinculum; nempe propter dispositionem necessariam ad vitam, quam producit spiritus, aut propter necessitatem operationis, ad quam conducit, aut propter utrumque: Et hac ratione videtur Fernelio, optime probari, existentiam, & necessitatem spirituum, quippe ipsis ablatis, cessant plura necessaria ad vitam. Sed si inquiras contra Fernelium, undè constat, illa plura necessaria ad vitam cessare defectu spirituum? Respondet Argenterius, experimento constare, vulnerato thorace, hominem interire, licet nihil aut exiguum sanguinis, aut alterius substantiæ crassioris profluat. Ergo vita deficit propter resolutionem, & defectum tenuissimæ alicuius substantiæ: At non est altera nisi spiritus; Ergo hoc experimento deducitur spirituum In nostro corpore necessitas, & existentia, in cujus confirmationem Galenus super illa verba Hippocrat. 6. *Aphor. comment. 27. Quicumque suppurati, aut aquam inter cutem patientes, uruntur, aut secantur: si pus, aut aqua confertim effluerint, omnino moriuntur*, ait causam mortis esse nimiam copiam spirituum, qui evacuantur.

Ratione etiam suadetur, nam in syncope, & animi deliquio vires celerrimè rescinduntur, appositis odoribus; & idem in doloribus atrocissimis accidit, quod fieri neutiquam posset, nisi substantia tenuissima, qualis spiritus est, citissimè resolvitur, & brevissimo tempore regeneratur. Ità Galenus 21. *Method. cap. 5. dum de causis syncopis loquitur: igitur experimentis his satis convincitur, dari spiritus in nostro corpore, qui à corde veluti à perenni fonte in totum corpus diffunduntur, à quibus vita fogetur, & nativus calor omnium membrorum ad actum reducitur, juvaturque ab spirituum calore, ut sua opera perficiat. Neque solum ex productione caloris convincitur necessitas, & existentia spirituum; nam calor, qui à spiritibus producitur, posset sine dubio suppleri ab altero agente calido, cum omnis calor sit ejusdem speciei: At videmus quòd si deficiat spirituum communicatio in aliquo membro, nequaquam posse suppleri ab altero agente calido illam vivificationem, quod sine dubio arguit necessitatem, & existentiam spirituum in nostro corpore, à quibus non solum calor producitur vitalis; sed etiam altera alia qualitas distincta à primis, quam irradiantem vocant, de qua fuit sermo, dum de partibus egimus; sufficiat in præsentiarum ex hoc deducere necessitatem, & existentiam spirituum in nostro corpore.*

Comune satis, & receptum est apud Medicos, in corde generari spiritus, qui dicuntur vitales, eò quòd ad opera vitæ deserviant, nempe ad motum cordis, & arteriarum, quibus vita custoditur, & similiter in cerebro generari spiritus, qui dicuntur animales, eò quòd ad opera animalia deserviant, nempe ad sensum & motum, de quibus *Tractat. de partibus, & facultatibus*, copiosior est sermo. Dubitamus in præsentia an hujusmodi spiritus specie differant, & insuper an præter spiritum animale, & vitalem, teneamur concedere spiritum naturalem in jecore fabricatum, sicut & vitalem in corde, & animale in cerebro.

Circa primum Argenterius, *lib. 2. de Somno, & Vigilia, cap. 9.* affirmat, solum esse unicum spiritum, ipsūque deservire ad omnes actiones vitales, animales, & naturales, ratione diversæ dispositionis, quam à diversis membris recipit, & proinde solum fortiri differentiam accidentalem, minimè verò essentialem, & specificam: etenim idem spiritus secundum essentiam solum, variatà dispositione, sive ex parte agentis, sive ex parte passivi, conducit ad diversa opera, non aliter ac in artificialibus unum, & idem instrumentum ad plura opera deservit, solum propter diversam artificis directionem. Cum ergo facultas nostra naturalis sit artifex, & spiritus sit instrumentum, quo mediante operatur, poterit sine dubio dirigi à nostra natura pro diversis operibus, variatà solum dispositione, ipsius entitate invariata, undè solum unicum spiritum concedit, quin sit necesse multiplicare entitates substantiales.

Ratione etiam fulcitur assertum; etenim solum est unum calidum influens à corde procedens, & hoc sufficit ad omnes actiones, juxta omnium Medicorum consensum: Ergo sufficiens etiam erit unus spiritus pro omnibus actionibus: etsi forsan diversi spiritus specie concedantur, similiter diversa natura calidi influentis debet concedi. Ulterius validatur hæc opinio, quia si concedantur diversi spiritus dubium non est quin inter se permisceantur, & confundantur, undè & actiones ad quas deserviunt confundi necesse est, imò & impediri ad invicem operationes, videtur rationabile, intendente quolibet spiritu sua opera elicere in præsentia alterius, cum quo est permixtum. Ex quo infertur, unum tantum esse spiritum secundum speciem; fortiri tamen differèntias accidentales propter diversa temperamèta participata à membris diversis, à quibus alteratur. Consonat Avicen. *sep 1. l. 1 doct. 6. c. 4* ubi solius spiritus vitalis mentionem fecit, & infra solum differentiam accidentalem supra insinuatam videtur concedere per sequentia verba. *Quando enim pars spiritus in ventriculo pervenerit, cerebri complexionem recipiet, & erit conveniens, ut ex eo proveniant virtutum operationes, que in eo primo reperta sunt, & similiter in hepate, & similiter in testibus.* Ergo ex mente Avicennæ

Avicennæ solùm est unius spiritus, qui per solam variationem in disputatione diversarum operationum opifex est. Nec mirum si eadem anima, solùm per organa diversa, & ratione diversarum complexionum in cerebro, varia & diversissima in animali opera elicit; quod idem spiritus, variatâ in ipso dispositione, ad varia opera patranda sit instrumentum.

Probabilior opinio, & magis recepta inter omnes Medicos est, spiritum animale, & vitalem essentialiter; & specificè differre. Primum fundamentum hujus assertionis est diversitas maxima inter actiones animales, & vitales, quæ arguit principium essentialiter, & specificè diversum. Nec valet si respondeas, ex hoc fundamento sequi, etiam esse concedendos diversos spiritus animales in specie, ut potè dantur diversissimæ actiones animales, ut patet in sensibus, tum externis, tum internis, & tamen ex hoc non deducitur esse multiplicandos spiritus animales specie diversos, imò unum spiritum animale sufficere, omnes uno ore fatentur. Ergo ex diversis, operibus animalibus, & vitalibus, non inferitur legitime specie differre vitalem spiritum ab animali. Ceterùm, paritas non tenet, nam licet spiritus animalis disponat plura organa diversa pro diversis operationibus, tamen dispositionem unam in specie producit in omnibus; nempe ad sensum, & motum, & sic unus in specie spiritus sufficit; qui ad diversas actiones sub eadem specie conducatur: At cum actiones vitales sint diversæ speciei ab animalibus animalibus, meritò principium essentialiter & specificè diversum requirunt.

Insuper suadetur assumptum; nam ex spiritu vitali generatur in cerebro animalis virtute alicujus dispositionis, quam producit cerebrum in spiritu vitali, hæc minimè est naturalis, nec dimanat à forma spiritus vitalis (aliàs non indigeret alteratione cerebri.) Ergo est violenta, sicut calefactio formæ aquæ: Ergo nisi virtutem hujus dispositionis violentæ spiritus vitalis amittat formam, & adquirat aliam, minimè potest esse permanens; sed omninò variabilis ad quamcumque alterationem; imò ad præsentiam actionis cordis variabitur, (quidquid sit de actione cerebri intendenti idem, cum ipsius actio sit valde remissior.) Constat autem actiones animales requirere permanentiam in viventi ad ipsius conservationem in statu naturali. Ergo debent producere à principio fixo, & permanenti. Cum ergo nisi spiritus vitales per diversam formam essentialiter, & specificam permittentur in animales, talis virtus non possit esse permanens: Inferitur rationabiliter formam specificam, & essentialiter diversam acquirere spiritus vitales, quando virtute cerebri in animales transmutantur.

Corroboratur ulterius conclusio posita, nam spiritus animalis, qui generatur in cerebro ex aère, aut vapore sanguinum, differre non dubiè essentialiter, & specificè à forma aëris, & à vapore sanguinis, cum neque in forma aëris, neque in vapore sanguinis contineatur eminenter spiritus animalis: At talis spiritus non est vitalis, cum minimè alteratus sit à corde. Ergo differre specie, & essentialiter à spiritu vitali; ac per consequens spiritus animalis qui fit ex vitali, debet differre specie à vitali, quippe ejusdem ordinis est spiritus animalis, ex quacumque materia

generetur, cum ex materia non sumat specificationem. Ergo si spiritus animalis factus ex aërea substantia, differret specie à vitali, etiam ille, qui generatur ex vitali, differret specie à vitali. Confirmatur, nam spiritus vitalis differret specie ab aère, & vapore sanguinis, ex quibus fit. Ergo etiam spiritus animalis debet differre specie à vitalibus, ex quibus fit.

Tandem fulcitur assertio nostra, quia spiritus vitalis habet ab interno principio, & à propria forma peculiarem illam vim, quæ arteriæ, & cor moventur motu pulsus, ratione dispositionis communicatæ à corde, ubi generatur: Ergo etiam spiritus animalis factus ex vitali per actionem cerebri debet participare virtutem ad sensum, & motum per acquisitionem novæ formæ substantialis in illa materia, ac proinde spiritus animalis differret à vitali essentialiter; & specificè. Antecedens est certum, & ex eo convincitur, quod si solùm vapor sanguinis, aut aër, ex quibus generantur spiritus vitales, haberent virtutem pulsificam, per meram alterationem productam à corde in subiecto, sicut aqua quando recipit calorem ab igne, & non ab interno principio; à forma nempe substantiali, sequeretur, minimè esse necessarium spiritum vitalem, cum possit cor eandem alterationem, & virtutem communicare omnibus membris per continui alterationem (quod refragatur experimento.) Ergo spiritus vitalis talis dicitur per propriam formam specificam habentem virtutem ad opera vitalia, ac per consequens cum eadem sit ratio de animali spiritu producto in cerebro ex qualibet materia, & idem sequetur inconveniens. Videtur dicendum, animale spiritum participare vim ad sensum & motum à propria forma substantiali diversa à forma spiritus vitalis, non per meram alterationem factam à cerebro in vitalibus spiritibus, sicut alteratio quæ fit ab igne in aqua.

Si respondeas, quod etsi alteratio illa à cerebro in vitales spiritus esset violenta; (& idem de alteratione à corde circa vitales suos spiritus currit argumentum) nihilominus posset esse firma, & permanens, quia conservatur à cerebro operante intra spheram suæ activitatis, sicut lux conservatur à sole intra totam spheram suæ activitatis: Tamen contra inferitur, minimè esse necessarios spiritus, ut supra insinuavimus, cum possit cor, & cerebrum diffundere suam virtutem, & alterationem illam in omnia membra contenta intra spheram suæ activitatis, sicut illam diffundit in omnes spiritus distantissimos, propter quod aiebant Contrarij, esse illam virtutem permanentem, etsi esset violenta, & non à propria forma cujuslibet spiritus petita.

Argumenta in contrarium adducta nullius roboris sunt, nam paritas de instrumento artificiali nihil probat; etenim unum & idem instrumentum artis, neutiquam ad omnia opera artis conducit, etsi possit habere diversum usum: sic etiam in spiritu animali videmus conducere ad diversa opera intra eandem speciem; non tamen ad omnia opera, quæ in viventi repetiuntur, cum nimia diversitas exposulet principium specie diversum, ut supra ostendimus.

Ad rationem dicimus, sufficere ad omnes actiones unum calidum influens, quia solùm præstat vitalem calefactionem, quæ ratio una & communis est pro omnibus actionibus viventis. At verò

spiritibus non solum se habent ad actiones viventis secundum aliquam rationem communem; sed peculiariter recipiunt virtutem determinatam ad vitalem, & animale actionem; quæ non potest esse una eadem, & communis: Et sic merito deducimus, spiritum non esse unum, sed diversum specie; calidum verò influens unum sufficere.

Ad tertium argumentum respondetur, quod licet diversi spiritus permisceantur, minime se impediunt ad operandum, quia affectus, quos producunt in partibus non sunt contrarij. Ad locum Avicennæ dicimus, quod in illo capite agit ex professo de vitali spiritu, & sic solum adduxit generationem spiritus vitalis, & non alterius, etsi obiter in ipso capite animali spiritu mentionem fecerit. Neque verba adducta aliquid probant, nam ad rem, de qua agit, minime oportebat diversitatem specificam inter spiritus assignare; sed temperamenti diversitatem, ex vi cuius, & alterationis factæ à cerebro in spiritibus vitalibus. (Et idem est de aliis alterationibus à reliquis membris principalibus) sine dubio acquiritur nova forma substantialis diversa à prima, quod tacuit Avicenna, neque ex eo colligitur, contrarium dixisse. Ad confirmationem dicimus, animam esse unam, tamen diversas operationes exercere, mediis facultatibus specie diversis, & si cum opera animalia & vitalia summopere differant requirunt instrumenta, & facultates specie diversas, unde spiritus specie erunt diversi.

CAP V T III.

An detur peculiaris Spiritus naturalis, influens?

PLures Authores antiqui, ex quibus unus est Fernelius *lib. 4. partis natur. cap. 10.* sine controversia admittunt spiritum quemdam naturalem insitum cuilibet parti, quem etiam implantatum appellant; diversam tamen juxta cuiuslibet partis diversitatem. Hujus opinionis etiam fuit Segarra *in prefatione librorum de facultatibus naturalibus*, ubi docet, hanc substantiam spirituosam, seu spiritum naturalem implantatum idem esse cum calido innato. Tuetur etiam hanc opinionem Donatus ab Altomari *quest. de spiritu naturali*, quem sequitur M. reatus *lib. 1. de pulsum armonia, tractatu secundo pagina mihi 45.* Omnes tamen isti Doctores fundamentum hujus assertionis desumunt ex Galeni autoritate *lib. 11. Meth. cap. 5. & 12. ejusdem capite etiam 5.* ubi docet partes nostri corporis constare ex triplici substantia; carnosâ scilicet, solidâ, & spirituosâ. Clarius tamen *lib. 5. de simpl. medicament. facult. cap. 9.* per sequentia verba: *Sed nos dicta ejus aut perperam capere oportet, ac cognoscere, innatum dixisse calorem, quem in unoquoque animantium, & nativum spiritum nominamus.*

Ceterum, quidquid sit de spiritu insito, seu implantato, de quo minime curò) quia solum est quæstio de nomine, an calidum nostrum innatum possit vocari insitus spiritus, ut Galenus, & Doctores citati insinuant, & minime probant:

litigium nostrum minime procedit de spiritu, seu calido innato naturali, qui ex principiis generationis contrahitur, & ab spiritu vitali influenti fovetur: de cuius existentia minime potest esse dubium: Etsi falsò aliqui velint concedere, spiritum naturalem insitum esse substantiam ab aliis diversam, quæ sit pars vera. Solum ergo est quæstio nostra: An sicut datur spiritus vitalis, & animalis influens in reliqua corporis membra à corde, & cerebro? Sic debeat concedi spiritus naturalis influens à jecore, medio quo communicetur omnibus membris virtus naturalis?

Et quidem circa hujus controversiæ decisionem non levem occasionem dubitandi dedit Galenus *12. Method. cap. 5.* ubi ait. *Quod si naturalis aliquis spiritus sit, utique in jecore, & venis continebitur.* Ex quibus verbis planè colligitur Galenum de naturali spiritu dubitasse, cum eodem loco indubitanter concedat, vitalem, & animale spiritum. Cum ergo Galenus nihil fixum de naturali spiritu influenti dicat; ex aliis dirimenda est controversia. Avicenna *fen. 1. lib. 1. doct. 8. cap. 5.* partem affirmantem videtur tueri per sequentia verba. *Quod cum spiritus vitalis pervenit ad jecur, accipit quandam complexionem peculiarem, & fit naturalis.* Sentit ergo expressè ex spiritu vitali fieri naturalem spiritum, per alterationem à jecore factam; à quo accipit virtutem pro naturalibus actionibus obeundis; & licet Petrus Garcia *disput. 40. cap. 12. fol. 1242.* affirmet, Avicennam loqui de sententia Aristotelis, qui solum unicum spiritum vitalem concedit, & minime ex propria opinione, fallitur meo judicio, ut ex lectione contextus constat; tum etiam quia *1. parte Canticorum tract. 1. à text. 81. usque ad 85.* cuius titulus est. *Rememoratio de spiritibus.* Ubi ex professo de ipsis loquitur, sic ait. *Spiritus dividitur in naturalem genitum ex vapore laudabili mundo, Hæc in textu. 81. & textu. 82. prosequitur sic. Et dividitur in eum qui in cerebrum, & in panniculis ejus retinetur.* Concludit *textu 85. sic. In quolibet ex spiritibus est virtus propria, alia ab illa qua est in alio.* Ex quibus verbis planè constat, Avicennam ex propria mente, & specialiter de spiritibus sermonem faciente, concedere spiritum naturalem, diversum ab animalibus, & vitalibus; Et miror certè Virum ad eò doctum qualem Petrum Garciam, adducere hoc Avicennæ testimonium pro parte contraria, & tamen in responsione solum adducere pro solutione. Ibi *in loco Canticorum* aliam materiam spiritus naturalis ponere Avicennam: solutio quidem tanti Authoris indigna, nam etsi concedat Avicenna, spiritum naturalem fieri ex vitali, & similiter ex vapore laudabili modo, non inferitur inde, non concedere spiritum naturalem sed ex varia materia posse generari, sicut etiam alij spiritibus non habent determinatam materiam, ex qua generentur. Ergo Avicennæ placitum semper manet in sua vi, & contra ipsum opinatur Petrus Garcia, & hoc fateri debebat ratione convictus.

Rationibus etiam Avicennæ placitum comprobari potest, quia tria sunt principia, quæ nostrum corpus gubernant juxta communem Medicorum consensum; cor scilicet, cerebrum & jecur; sed cor & cerebrum indigent ad suas actiones propriis spiritibus influentibus. Ergo etiam

etiam jecur indiget spiritu naturali, medio quo diffundat suam virtutem cuilibet membrò. Secundò validatur eadem assertio, nam quælibet pars nostri corporis constat ex triplici substantia, carnosâ scilicet, solidâ, & spirituosâ, ut ex Galeno 11. *Method. cap. 1. didicimus*. Ergo singulis debet correspondere proportionatum alimentum; sed insitæ, seu implantatæ spirituosæ substantiæ; nullum aliud potest esse proportionatum alimentum præter spiritum naturalem, ut per se patet. Ergo talis spiritus minimè est denegandus. Cæterùm, quòd substantia spirituosâ indigeat proportionato alimento, deducitur ex Galeno 1. *de sanitate tuenda cap. 2. per sequentia verba. Cùm tota moles animalium in perpetuo fluore sit, nisi similis altera substantia, pro ea que defluxit, restituta sit, evaporabitur, certè atque dissipabitur universa*. Cùm ergo spirituosâ substantia faciliùs dissipetur, indigebit non dubiè spiritu naturali, tanquam alimento proportionato ad facilem restaurationem, & repositionem, loco substantiæ spirituosæ perditæ. Tandem fulcitur assumptum, quia sicut se habet virtus vitalis ad animale, sic naturalis ad vitalem; sed spiritus vitalis se habet ut materia respectu animalis, ita ut per ulteriorem coctionem fiat animalis. Ergo respectu facultatis vitalis debet esse spiritus naturalis, qui se habeat ut materia, & per ulteriorem coctionem fiat vitalis: aut debet assignari ratio, cur ad animale spiritum fuit necessarius vitalis ut materia, & non ad vitalem spiritum, non sit necessarius alter spiritus, ut materia, qui possit dici naturalis.

Verior tamen opinio est, minimè dari spiritum naturalem influentem, medio quo virtus alteratrix communicetur reliquis membris distinctum à spiritu vitali, & animali. Fundamentum hujus assertionis est, quod virtus naturalis est insita cuilibet membrò ad suas naturales actiones perficiendas, & minimè ab alio communicata; totùm quod ex Galeno videtur constare 1. *de locis affectis, cap. ultimo per sequentia verba. Atque hac in re plurimum differunt naturalia ab animalibus instrumentis; si quidem naturalibus insitam actionis vim esse: animalibus verò instrumentis à principio veluti lumen à sole influere ostensum est*. Sensit ergo expressè Galenus, virtutem naturalem insitam esse in omnibus membris, & minimè participatam ab alio ad differentiam virtutis animalis, quæ à cerebro in reliqua membra influit, sicut lumen à sole diffunditur. Si ergo naturalis virtus insita est cuilibet membrò, impertinens omnino est naturalis spiritus, medio quo diffundatur à jecore virtus naturalis in reliqua corporis membra.

Aliqui ex Scriptoribus Barbaris interpretantur adducta Galeni verba de particularibus virtutibus naturalibus, nempe de attrahente, retinente, alterante, & expellente facultate, quas omnes esse insitas omnibus membris, & minimè participatas docent cum Galeno. Cæterùm, minimè de virtute naturali efficiendi sanguinem, quam à jecore influere in venas, medio naturali spiritu docent. Quâ ratione dicitur ab eodem Galeno 6. *de Placitis*. Talis enim sujusdam facultatis origo jecur est, qualis plantis inest. Verumtamen interpretatio hæc

minimè convincit assumptum; etenim ad libitum de peculiaribus facultatibus, & non de omnibus explicatur Galenus; siquidem quo naturale est, & cuilibet membro necessarium ad vitam, insitum est ipsi. Ergo omnis operatio naturalis, quæ legitimè ad gradum vegetandi pertineat, debet esse insita cuilibet membrò, quin alicujus sit exceptio; ac proinde minimè est necessarius spiritus naturalis influens, medio quo naturalis virtus communicetur omnibus membris.

In cujus doctrinæ confirmationem Galenus loco nuper citato de locis affectis post adducta verba, expressè tenet, instrumentis naturalibus accidere nonnunquam, ut ipsis illæsis, eorum actio pereat: Naturalibus tamen instrumentis, id nequaquam posse accidere. Perpendite verba, *Quamobrem solis partibus, que sentiendi, & movendi vim habent, accidit ipsis interdum nequaquam læsis; tamen earum actionem perire, id quod naturalibus instrumentis accidere non solet*. Ex his planè constat juxta Galeni doctrinam, naturalia instrumenta non pati per consensum, affectâ scilicet origine; sed semper propriâ passione laborare, & insitam esse virtutem naturalem omnibus membris, & minimè influxam, & participatam à jecore, non solum circa peculiare virtutes naturales, verùm etiam circa virtutem sanguinis generatricem: siquidem si à jecore in venas diffunderetur virtus generandi sanguinem, medio spiritu naturali influente ex sola hepatis affectione, nihil patientibus venis, privarentur generatione sanguinis. Unde instrumenta naturalia, sicut & animalia in passione per consensum eodem modo se habebunt, quod opponitur, & refragatur doctrinæ Galeni adductæ, quæ absolute tenet de omnibus instrumentis naturalibus, minimè pati per consensum.

Et ratione à simili probatur manifestè, nam quod ad naturales potentias attinet inter nos & plantas eadem militat ratio, cum principium vegetandi ejusdem sit ordinis. Ita Galenus 1. *lib. de caus. symptomat.* per sequentia verba. *Totum enim hoc genus actionum, quod animale non est, sed naturale, eodem modo perficitur, atque in animalibus*. Ergo nutriuntur, & crescunt, & generant plantæ non minùs quàm animalia, omniâque munia obeunt, ad naturalem virtutem spectantia, ac per consequens, si virtus naturalis in plantis alimenta dispensat, & omnia suæ virtutis opera exequitur sine spiritu naturali influenti, meritò in nobis talis spiritus denegatur ad opera omnia naturalia obeunda.

Corroboratur ulteriùs nostra opinio, argumento desumpto ex fundamento communi, & satis probabili, quo asseritur, ideò jecur esse officinam, ubi fabricatur massa sanguinaria, quia habet similitudinem in modo substantiæ cum sanguine, ideòque assimilat sibi materiam, quippe in fabrica humorum se habet ut agens merè naturale. His præmissis, sic formo argumentum in favorem nostræ assertionis, Nullum agens eorum, quæ vim commutandi habent ob similitudinem, potest propriam vim alteri præstare, nisi præstet etiam similitudinem, patet antecedens in igne, siquidem minimè potest vim suam naturalem generandi ignem

præstare, nisi illud ipsum ignem faciat prius; sed modus substantiæ hepatis minimè potest communicari reliquis membris. Ergo neque virtutem fabricandi sanguinem potest diffundere jecur in omnia membra, medio influxu seu spiritu naturali influente, qui sit delator virtutis naturalis, eo modo quo accedit in virtute animali, & vitali.

Consonat hæc doctrina cum ea quam adduximus *Tractatu nostro de Humoribus*, ubi docuimus, humores omnes per se à jecore generari, tanquam à causa æquivoca, & membro principali in dignitate, & officio à Natura constituto, in reliquis autem membris posse generari interdum humores per accidens, medio calore & temperamento tanquam instrumèto cujuslibet membri intendentis suam nutritionem propter variam, & heterogeneam materiæ dispositionem, ratione cujus ex dispositionibus productis ab agente, & ex his, quæ sunt in materia heterogenea, resultat per accidens forma humorum ab agente univèrsi producta propter exigentiam illius dispositionis mediæ, quæ est ultima ad formam humorum. Cùm ergo jecoris propria virtus non diffunditur (aliàs in quolibet membro per se humores semper, & continuè generantur, sicut in jecore, quod experimento refragatur) dicendum est insitam esse virtutem naturalem in omnibus membris independentem ab influxu jecoris peculiari ad propriam nutritionem, & generationem consimilis substantiæ, medio calore proprio, & nativo, & spirituum vitalium calore, à quo nativus fovetur, quin sit necessarius spiritus naturalis influens, ut satis constat ex doctrina superius adducta.

Uterius etiam non levis ratio se offert, desumpta ex similitudine cordis, & cerebri, in quibus motus dilatationis, & compressionis invenitur pro generatione continua spirituum: neque in illis sufficit virtus trahens connaturalis partium pro attractione materiæ, ex qua spiritus generantur: iudicium sanè firmissimum, quod egerit pulsifico motu pro fabrica spirituum. Cùm ergo in jecore non sit pulsificus motus, inferre debemus, in ipso non fabricari spiritum naturalem influentem, ad cujus materiæ attractionem non sufficeret virtus naturalis trahens, sicut non sufficit in cerebro, & corde pro perenni spirituum vitalium, & animalium generatione. Accedit etiam, quod ad naturales actiones, seu vegetabiles videtur sufficiens temperamentum, in quo viget calor, & humiditas pro nutritione, & augmentatione: neque ad hujusmodi parum juvat calor spirituum vitalium. Cùm ergo nihil peculiare inveniamus in vegetabilibus actionibus ad multiplicationem spiritus naturalis influentis, meritò ipsum denegamus.

Restat solvere argumenta, quæ pro contraria parte sunt adducta. Avicennæ testimonium solvunt plures dicentes, à spiritu vitali juvari jecur, & ibi recipere ipsum spiritum vitalem complexionem à jecore, ratione cujus dicitur naturalis spiritus, postquam à jecore recipit alterationem, quin vitalis spiritus immutet formam, & specificam naturam, & hæc ratione verificatur, quòd cùm spiritus vitalis accedit ad jecur, accipit ab ipso complexionem quandam peculiarem, ratione cujus sit naturalis; non quidem quia ex vi illius alterationis convertatur in aliam naturam specificam spiritus naturalis; sed

quia conducat ad actiones naturales simul cum jecoris actione, & hæc eadem ratione interpretantur plures prædictum locum Avicennæ, eò quòd loquatur de sententia Aristotelis ponentis solum unicum spiritum vitalem, qui cum accedit ad cerebrum accipit virtutem animalè, & cùm accedit ad jecur, accipit naturalem vim. Et hæc eadem ratione judicant, interpretari posse alterum testimonium Avicennæ 1. parte *canticor.* supra adductum; nam etsi fateatur trimembrem spirituum divisionem, non est quia natura specificà differant; sed quia in cerebro & jecore accipiant vitales spiritus complexionem conducen-tem ad opera naturalia & animalia.

Licèt tamen effugium hoc possit sufficere ad solutionem doctrinæ adductæ ab Avicenna, tamen reverà persuasus sum, Principem Avicennam sensisse dari spiritus animales specie diversos ab aliis, ut ex lectione *cap. 4. citati* constabit, & præcipuè ex loco *Canticorum*, ubi ex professo de natura spirituum egit. Cæterùm, quia Galeni doctrina citata in nostra conclusione urget valdè, necnon etiam rationes adductæ, magis probo eam doctrinam, quam etiam tueri Vallesius noster *cap. 17. lib. 2. Controvers.* ubi nec verbum de testimoniis adductis Avicennæ pro contraria parte tradit, quod in tanto Authore non leve omissionis peccatum est, præcipuè ubi litigiosa valde censetur controversia, & tanti ponderis sunt Avicennæ testimonia supra relata.

Ad primam rationem respondeo facilè, quòd jecur constituitur in ratione partis principis, non quidem quia virtutem aliis membris præster, sed materiæ nutritionis, & generationis omnium membrorum: Necnon etiam, quia venarum, quæ virtutis naturalis sunt instrumenta, radix sit. Secundum argumentum solvitur, si dicamus, quòd etiam si concedamus, partem spirituosam, seu spiritum implantatum in quolibet membro, non indè necessariò fateri debemus, spiritum naturalem influentem ad ipsius nutritionem, cùm certum sit sufficere vaporem sanguinis, seu tenuissimam ejus partem, quæ sine dubio erit proportionatum alimentum.

Ad ultimum respondeo, negando similitudinem, & negando etiam materiæ necessariam ad generationem spirituum, cùm certum sit animales posse generari ex aère, & ex vapore sanguinis, & similiter ex vitalibus, & vitales etiam generantur ex aère, & tenuiori parte sanguinis. Præterquam quòd si necessariò ad generationem cujuslibet spiritus præcederent alij tanquam materia, daretur processus in infinitum; nam si ob hanc rationem ponerentur spiritus naturales; similiter ad generationem spirituum naturalium deberent præcedere spiritus alterius naturæ, & sic processus in infinitum.

C A P V T I V.

An generatio Spirituum spectet ad naturalem facultatem coquentem?

Commune satis est inter Authores, vitales spiritus generari in corde, & arteriis, tum ex vapore sanguinis, tum etiam ex aère attracto, mediâ respiratione, & pulsifico motu: similiter etiam

etiam de animalibus spiritibus tenent, generari in cerebro, seu ventriculis ipsius, partim ex vitalibus spiritibus, qui per arterias in illos disseminantur, partim etiam ex inspirato aëre. Inquirimus ergo in præsentia, an spirituum vitalium, & animalium generatio spectet ad facultatem coquentem: an verò ad vitalem residètem in corde, & animalem residentem in cerebro, reducenda sit vitalium, & animalium spirituum generatio.

Et quidem videntur spiritus vitales procedere à facultate vitali residente in corde, tanquam à principio effectivo, & similiter animales spiritus ab animali facultate, cujus domicilium est in cerebro, dimanare. Argumentum defumitur ex loco ubi generantur; siquidem vitales spiritus non nisi in corde, & arteriis generantur, ubi residet vitalis facultas: Animales non nisi in cerebro, ubi animalis facultas habet proprium domicilium. Ergo tales spiritus à peculiaribus, & principalibus facultatibus generantur, quarum sunt propria, & peculiaria instrumenta. Cum ergo instrumenta cujuslibet artis spectent ad artem, cujus sunt propria instrumenta, etiam videtur generationem spirituum vitalium, & animalium spectare ad facultatem vitalem, & animalem, quarum sunt propria instrumenta.

Cæterum, quòd spiritus minimè fiant à facultate coquenti, probari videtur ex eo quòd, omne quod coquitur, redditur simile coquenti principio in modo substantiæ, & in accidentibus; sed spiritus vitalis minimè assimilatur cordi, neque animalis cerebro in modo substantiæ, aut accidentibus. Ergo non procedunt per coctionem à corde, & cerebro. Ulteriùs, quia quælibet pars nostri corporis nutritur ex illa materia, quæ ab illa alteratur, & coquitur, sed neque cor nutritur à vitali spiritu, neque cerebrum ab animali. Ergo spiritus non generantur à corde, & cerebro per coctionem. Tandem quia in qualibet coctione generantur, seu resultant duo excrementa, alterum tenue, alterum crassum, auctore Galeno 3. *Method. cap. 4.* sed in generatione spirituum minimè apparent talia excrementa. Ergo non fiunt per coctionem.

Probabilior opinio, & magis communis inter Doctores est, spiritus fieri per coctionem: ita sentit Vallesius 2. *Controvers. cap. 18.* & eam intendit probare ex Galeno libro *an sanguis in arteriis contineatur*, ubi ait, fieri spiritus ex vapore sanguinis aut aëre, coctione quadam. Inde infert. Ergo à coëctrice facultate, quippe coctio illius actio est.

Cæterum, Petrus Garcia *disput. 4. dum de natura, & numero spirituum 4. in sua parte naturali agit cap. 13.* expressè asserit, sinistrè adduci Galenum à Vallesio. Illicò tamen ad hujus veritatis indagacionem totum librum Galeni perlegi, & minimè verba adducta à Vallesio inveni, neque alia, ex quibus deducere possim, spiritus per coctionem generari, unde ad alia propeto, quæ hanc communem Recentiorum opinionem suadere possint. Clariùs igitur videtur tueri hanc opinionem *lib. 9. de usupart. cap. 4.* per sequentia verba. *Demonstratum est in illis commentariis, animam ratiocinatricem in cerebro habitare, per eamque partem non ratiocinari spiritumque animalem in ipsa quamplurimum continere qualitatis proprietatem ex sui ipsius coctione adeptam.* Ergo spiritus animalis accipit virtutem à cerebro, medià ipsius coctione. Ulteriùs etiam *lib. 7. de placitis*

ait Galenus. *Sicut spiritus vitalis in corde, & arteriis, ex materia generationis in inspiratione, & humoris exhalatione sumpta, à animalis ex vitali perfectius cocto oritur.* Consonat hæc doctrina cum ea, quæ antè Hippocrates scripserat *libello de alimento*, ubi spirituum generationem nutritionem vocat per sequentia verba. *Principium alimenti os, nares, guttur, pulmo, & alia respiratio.* Quibus verbis apertè inferunt, ad nutrientem facultatem pertinere spirituum generationem.

Ratione etiam intendunt suadere hanc communem opinionem, quam adducit Vallesius *locò citato supra* & ea est, quia nullius rei generatio spectat ad ullam aliam facultatem, nisi ad naturalem, quippe ad animale facultatem solum attinet sentire, & movere, ad vitalem pulsare, & subire motus animi, nihil autem horum est gignere spiritus ex sanguine, seu ipsius vapore. Ergo solum ad naturalem facultatem attinet spirituum generatio. Confirmatur hæc eadem assertio, quia naturalis ortus rerum fit coctione, sicut corruptio mixtorum putredine celebratur; Cum ergo spirituum productio sit naturalis generatio, medià coctione fieri debent. Corroboretur ulterius assumptum, nam putredo semper supponit coctionem in subiecto putrefaciendo; sed spiritus possunt putrefieri. Ergo supponitur in ipsis terminus coctionis productus: sed terminus coctionis sit media actione coëctrice. Ergo spiritus per coctionem fiunt.

Priùs tamen, quàm mentem propriam exponamus supponere debemus id, quòd certissimum est in doctrina Galeni, & omnium Medicorum, nempe in corde esse insitas facultates omnes naturales, simulque vitalem, seu pulsificam, & reciprocè unam ab altera dependere, & simul alteram alteri succurrere: similiter etiam in cerebro insita est facultas naturalis, & animalis, mutuamque in se habent dependentiam ad suas functiones obeundas. Itaque facultas naturalis, quæ residet in corde, & in cerebro, subministrat materiam, & ipsam perficit pro nutritione, & augmento, & producit quicquid requiritur ad suam naturalem conservacionem. Cæterum, si in corde, & in cerebro contemplemus munera peculiaria, & principatum ipsis à Natura dicatum; necnon etiam dignitatem officij aliquid aliud peculiare in ipsis relictum; nempe facultas generandi spiritus, seu instrumenta communia pro suis operibus.

His præactis, nostra opinio est, generationem spirituum vitalium in corde esse actionem mediam per participationem naturalis facultatis residentis in corde, & vitalis ipsi etiam insitæ; quæ simul, & semel per mutuam dependentiam concurrunt ad generationem spirituum vitalium; naturales quidem generando, & suppeditando materiam: idoneam vitalis verò cordis ipsam sigillando, ut opera vitalia singulis membris participet; utraque tamen actio concurrat ad productionem spiritus vitalis, & ad ipsius formæ introductionem, atque ad eam forma spiritus vitalis connotat actionem coëctricam, & naturalem quatenus naturale instrumentum est; actionem autem vitalem, quatenus peculiare instrumentum principalis facultatis residentis in corde à qua sigillationem accipit, & vim pro actionibus vitalibus ad pulsificam facultatem pertinentibus, & motum arteriarum, quæ quia altioris ordinis sunt, sine dubio exposcunt principium

autem deveniendum sit ad primam actionem, & spiritum primò productum, etiam respectu hujus præcedit in corde qualitas communicata de spiritu genito à matre, seu parentibus, & sic ab illo juvatur ad generationem reliquorum; undè bene compatitur quod cor sit minùs calidum, quàm spiritus, & nihilominùs possit esse author, & efficiens ipsorum, idèmq; in arteriis currit; præterquam quòd à forma spirituum poterit resultare intensior calor, etsi remissior sit productus, qui se habeat tanquam dispositio ad formam.

Major tamen digladiatio inter Authores est, An arteriæ propria & insita virtute generent spiritus vitales: vel potius per influxum receptum à corde? Et quidem circa hanc dubitationem Authores tenentes, spiritus fieri per actionem purè naturalem coëtricem, affirmant, spiritus vitales generari virtute insita arteriarum, ex eo quòd virtus naturalis minimè communicatur per influxum (ut ex suprà dictis constat.) Si ergo in arteriis fabricantur spiritus, virtute ipsarum fieri debet & non per influxum à corde. Sed hæc ratio non convincit assumptum, etenim possunt generari in arteriis spiritus à facultate cordis immediate operante intra sphaeram suæ activitatis, & non medio influxu.

Neque ex hoc sequitur, etiam in venis posse generari spiritus, qui sunt intra sphaeram activitatis cordis, nam quælibet cavitas non est eadem ad cujuslibet effectus productionem, etsi in ipsa sit materia, ex qua possit generari, & sit intra sphaeram agentis. Sic videmus fœtum non formari nisi in utero, nec lac nisi in mammis, nec medullam nisi in ossibus, unde nec spiritus poterunt generari nisi in arteriis propter specialem loci dispositionem.

Noster Petrus Garcia *disput. 40. in sua parte naturali, cap. 7.* asserit, satis probabilè esse, arterias generate spiritus vitales propriâ, & insita virtute, forsan convictus ratione primò adducta, cum ipse doceat, spiritus generari per actionem purè naturalem coëtricem, etsi fateatur planè, ad oppositum asserendum, non esse rationem, quæ efficaciter convincat.

Nos tamen asserimus, spiritus vitales in arteriis generari, non quidem virtute insita ipsarum (quæ nulla est ratio id convincens) sed per virtutem influxam à corde (aut forsan ipso immediate propriâ virtute operante intra sphaeram suæ activitatis) quod improbabile non iudico.

Hæc Conclusio consonat valde doctrinæ nostræ capite præcedenti adductæ de actione generativa spiritus-vitalis: ad quem concurrat vitalis facultas cordis, quæ principatum obtinet in genere vitalium coëtionum, & ob hanc dignitatem generet instrumentum pro vitalibus actionibus; credendum est ad cor solam spectare spirituum vitalium generationem, & minimè talem facultatem esse insitam arteriis: sed potius participatam à corde per ipsius influxum. Suadet asseritum argumentum desumptum ex natura cordis, & arteriarum, quæ sunt partes organicæ valde dissimiles. Sicut ergo habent diversum esse substantiale partiale, etiam habent facultatem heterogeneam omninò diversam: ac per consequens effectus diversos debet producere. Ergo si spiritus vitales generantur in corde propria virtute, ut omnes fatentur, non poterunt gene-

rari in arteriis propria, & insita vi; sed potius participatâ, & influxâ à corde.

Secundum, quod proponitur investigandum circa materiam ex qua generantur spiritus, litigiosum valdè est, & graviorem continet difficultatem. Avicenna *fen. 1. lib. doctr. 8. cap. 4.* unicam materiam ex qua generantur spiritus vitales assignavit per sequentia verba. *Ex humorum vaporibus, & eorum subtilitate secundum aliquam complexionem substantia generatur subtilis, quæ est spiritus.* Sentit ergo, vaporem sanguinis, seu humorum esse materiam spirituum vitalium. Idem etiam tenet libro de viribus cordis, cap. 1. sic. *Produxit etiam spiritum ex subtilitate humorum, & igneitate.*

Galenus verò geminam materiam spirituum vitalium assignavit *lib. 12. Method. cap. 5.* per sequentia verba. *Vitalis spiritus non aquè demonstratio existit; sed tamen in corde eum, & arteriis contineri, alienum à ratione non est, eundemque nutriturum maximè quidem ex respiratione; sed tamen & ex sanguine.* Ex quibus verbis videtur sanè, Galenum sentire, materiam spirituum, non solùm esse sanguinis vaporem, verùm & aërem inspiratum. Consonat idem Galenus 6. *de usu partium, cap. 2.* ubi ait, *Ipsam cor indigere aëris substantia præter qualitatem:* Sed aëris substantia ad nihil aliud potest conducere, nisi ut sit materia spirituum, cum ipsius qualitas ad attemperationem deserviat caloris nativi. Ex Galeni ergo mente videtur, ex aëre generari spiritum vitalem in corde.

Cæterùm, difficile videtur, ex aëre vitales spiritus generari, quoniam est corpus elementale omninò simplex, & cum ex corpore simplici non possit corpus mixtum nutriri, ita neque generari, quia eadem est materia generationis, & nutritionis ex Aristotele 2. *de generat. cap. 8.* quæ etiam ratione neque aqua nutrit, neque ex ipsa tanquam ex materia poterit fieri, seu generari corpus mixtum, (aliàs animal esset simplex, & ex uno constans elemento, quod opponitur naturæ corporis mixti, quatenus tale est.) Cum ergo spiritus sit corpus mixtum, neque poterit nutriri, nec fieri ex aëre, ita tenet Averrhoës *lib. 2. collect. c. 16.*

Si aliquis respondeat, spiritum generari, & refici ex aëre, non quidem seorsum, sed permixto cum alio corpore. Contra instari potest solutio, quia aqua non nutrit, etiamsi sit permixta cum alio corpore mixto: sed solùm se habet tanquam vehiculum, & hac ratione juvat ad nutritionem, non quia ipsa aqua nutriat; sic de aëre censendum est, quòd solus non nutriat, sed quòd juvet ad restaurationem, & generationem spiritus, quoniam conducit ad penetrationem, & subtilitatem materiæ, seu vaporis sanguinis, ex quo fit spiritus. In hoc sensu exponitur Avicenna *fen. 10. lib. 3. tract. 1. cap. 1.* à Gentile de Fuligineo, quando tenet, aërem conducere ad restaurationem spirituum; etenim neque solus aër, neque permixtus cum vapore sanguinis (si permixtio sonet solum juxtapositionem, & non legitimam & veram mixtionem) poterit esse materia spirituum; quippe si repugnat corpori simplici mutari in spiritum, præcisè quia simplex est, ut suprà probatum est; cum aër per juxtapositionem cum vapore sanguinis minimè amittat simplicitatem; sed quantum ad sua prædicata intrinseca profus invariatus perseveret; sequitur, quòd

quod si aër solus non potest esse materia spirituum, neque juxta positus cum vapore sanguinis, poterit esse materia generationis ipsorum.

Nobis tamen dicendum videtur, quod si aër permisceatur cum vapore sanguinis; non quidem per solam juxtapositionem; sed quia per mutuam, & reciprocam actionem ex illis duobus fiat proprium mixtum, & verè tale licet per generationem sit factum, & non per veram mixtionem, ad quam est necessarius concursus omnium elementorum. Tunc quidem posse aërem esse materiam, ex qua generentur spiritus vitales, imò si materia aëris puri alteretur per qualitates reliquorum elementorum ab alio corpore mixto, quale est vapor sanguinis, poterit sine dubio fieri ex aëre corpus mixtum proprium factum per generationem, ex quo possit muniti, seu generari spiritus. Neque alienum judices à vera Philosophia, posse fieri mixtum per generationem ex materia unius elementi; quod quidem sit proprium, & rigorosissimum mixtum, in quo sunt quatuor elementa formaliter, licet ex materiis omnium elementorum non sit factum; sed de hac re latè egimus *Tractatu nostro de Elementis*, ex quo facile quisque poterit transferre, quæ opportuna ad rem præsentem spectare videantur.

Assumptum nostrum probatur à simili de aqua, & terra, quæ ad invicem alterantur, ex qua alteratione fit mixtum quoddam proprium pro nutritione plantarum. Sic ergo de vapore sanguinis, & aëre puro censendum est, alteratione mutuâ fieri mixtum, ex quo possint generari spiritus vitales; non verò nutriti, quia cum spiritus non vivant, minimè possunt nutrirî, quâ doctrinâ optimè compatitur, quod spiritus fiant, & generentur per coctionem, & quod fiant ex aëre alterato, & permixto cum alio corpore; nam cum per talem alterationem resultat mixtum, optimè intelligitur; quod coctio sit passio mixtorum in nostra opinione. Cæterum, qui tenent, spiritum ex aëre puro, & elementalî posse generari, fateri coguntur; spiritus minimè generari per coctionem, eò quod putredo & coctio sunt passiones mixtorum, ut clamat Philosophus.

Neque alienum erit à ratione concedere, posse generari spiritus vitales ex vapore alimentorum in ventriculo, priusquam mutantur in chylum, ut experientia demonstrat in his qui syncope corripiuntur, & vinum generosum bibunt, in quibus ita celeris est spirituum reparatio, ut vidatur impossibile, fieri prius commutationem vini in chylum. Consonat dictis doctrina Galeni *lib. 3. de Temperament. cap. 3.* ubi tenet, portionem quamdam chyli ante commutationem in sanguinem trahi ab arteriis; ut generetur vitalis spiritus, & ratio id suadet, nam si ex vapore sanguinis generentur spiritus, quia materia tenuissima, & valde præparata censetur pro forma spirituum. Sic similiter ex parte vaporosa chyli, necnon etiam ex vaporibus vini tenuioribus, sive alterius alimenti, aut substantiæ odoriferæ: ob eandem rationem possunt generari spiritus, quin sit necessarium, quod prius commutentur in sanguinem, ut bene probat experimentum nuper adductum de celeri reparatione in syncope corruptis per vini generosi assumptionem.

C A P V T VI.

In qua parte, & ex qua materia generentur Spiritus Animales.

ABandè satis probavimus *cap. 2. hujus Tractatus*, dari spiritus animales specie physica diversos à vitalibus contra Argenterium, ibique obiter cum communi Medicorum consensu statuimus, fabricari animale spiritum in cerebro, ultimâque in ipso perfectionem accipere probavimus, *cap. 4.* uti de actione generativa spirituum disputavimus. In præsentî etiam liceat corroborationis gratiâ ex Galeno demonstrare, spiritus animales in cerebro fabricari. Perpendite ipsius verba *12. Method. c. 5.* *Ergo animalis spiritus cerebrum veluti fontem esse clarè ostendimus.* Vbi planè faterur in cerebro habere proprium domicilium spiritus animales, ab ipsoque tanquam à fonte dimanare. Et ratione à simili suadetur, quia spiritus vitales generantur in corde, ubi residet facultas vitalis, ejus sunt instrumentum. Ergo etiam spiritus animales, debent generari in cerebro, ubi residet facultas animalis, cujus sunt instrumentum ad munera animalia obeunda. Quod ita certum inter Medicos, ut minimè altiori egeat indagine, quare ad secundum quod inquit caput licet properare: Ex qua nempe materia generentur spiritus animales.

Doctrina communis est, spiritus animales ex duplici materia generari, ita Galenus expressit *12. Method. cap. 5. nuper citato*, ubi postquam dixit, *spiritus animalis cerebrum veluti fontem esse*, immediatè subdidit, *Qui partim ex inspirando, partim ex eo quod reticularis plexus suppeditat, irrigatur.* Ubi gemina materia ex qua generantur spiritus animales, una est aër attractus per inspirationem, altera est spiritus vitalis, & denotatur ex ultimis verbis adductis, nempe ex plexu rectiformi, seu circumvolutione arteriarum; quæ sunt juxta cerebrum, quarum peculiaris situatio à Natura fuit fabricata, ut ibi spiritus vitales disponerentur pro generatione animalium. Liquidè ergo constat ex Galeni mente, spiritum animale generari ex aëre attracto per inspirationem, tanquam ex materia, & insuper ex spiritibus vitalibus, qui resident in plexu rectiformi, seu circumvolutione arteriarum juxta cerebrum.

Sigillatim tamen suo ordine examinare oportet in quo sensu vera sit doctrina Galeni adducta circa materiam spirituum animalium; & in primis quod aër attractus per inspirationem sit materia, ex qua fiunt tales spiritus. Constat ex Hippocratis testimonio *libro de Alimento supra citato, capite precedenti. Principium alimentis os, nares, guttur, & alia respiratio.* Cum ergo nares nullius alimenti sint principium, præterquam aëris, qui ad cerebrum defertur per illam viam; inferitur sanè, ex aëre fieri spiritus animales in cerebro. Hoc ipsum confirmat Galenus *lib. de utilitate respirat. cap. 2.* ubi sic fatetur, *Minori quidem sui parte aër per nares ad cerebrum defertur, ut spiritus animalis substantiam nutriat.* Nihil clarius. Consonat etiam dictis doctrina quam adducit idem Galenus *lib. de*

cipium eff. ctivum altioris virtutis, qualis est facultas vitalis cordis, de qua diximus *nostro Tractatu de Pulsibus*, minimè pertinere ad animam vegetativam; sed esse actionem mediam inter sensitivam & vegetativam. Ergo instrumentum facultatis vitalis quatenus vitalis altioris ordinis est, & ità ad facultatem altiorem pertinet, ac per consequens per actionem produci debet, quæ non sit merè naturalis; sed media per participationem virtutis vitalis, quæ residet in corde, à qua accipit spiritus sigillationem, & vim ad vitales actiones obeundas, & idem de generatione spirituum animalium pari ordine, & ratione eadem tenendum est; nempe quod spiritus animalis, media actione, producat, quæ sit participans naturalis, & animalis facultatis residentis in cerebro, à qua accipiunt spiritus vim, ad animales actiones, seu ad sensum, & motum obeundum.

Probatur ulteriùs, quia facultas naturalis coëctrix cordis, præcisè quatenus naturalis (idem de facultate naturali cerebri currit argumentum) solum ordinatur ad alterationem alimenti, & ipsius præparationem pro nutritione peculiari cordis. Ergo quando producit instrumentum seu spiritum vitalem pro vitalibus actionibus per se tanquam membrum principale ad hunc specialem finem à Natura dicatum, influit in ipsius generationem, seu productionem sua peculiari facultate, à qua tanquam à causa æquivoca oritur spiritus vitalis, qui præcipuum instrumentum est ad opera pulsifica, quæ quia altioris ordinis sunt, sicut & animalia opera) quæ ab spiritibus animalibus, & vitalibus producuntur, dicendum est minimè à sola facultate naturali coëctrix procedere; præcipuè cum hæc quatenus talis ejusdem ordinis sit in corde, & in cerebro. Ergo si in corde producit instrumentum, seu spiritus specie diversus, ac in cerebro, indicium manifestum est concurrere ad peculiarem spiritum, & peculiare instrumentum diversâ formâ specificâ ornatû peculiarem facultatem vitalem cerebri, & animale cordis, à quibus virtus vitalis, & animalis sine dubio participatur.

Suadetur etiam à simili idem assumptum de spiritu gignitivo, seu parte spirituosa existente in semine producto à testibus, in quibus semen generatur, non solum per coëctionem à facultate ipsorum merè, & purè vegetabili, sed ab ipsis testiculis tanquam ab arte principali in ordine ad speciem, quorum facultas æquivocè operatur, & producit instrumentum generationis, seu semen, in quo, saltem secundum ejus partem spirituosam relucet vis generandi, & formandi omnia membra, quæ virtus nequaquam est merè naturalis, sed generativa, à testibus producta peculiari virtute generativa dicata à Natura ad id munus propter dignitatem officij sui. Ergo sicut actio generativa seminis, seu spiritus gignitivi non solum est purè vegetabilis in opinione probabiliori; sed ad altiorem ordinem, & indaginem spectat, & ad facultatem generativam, quia opera seminis sunt superioris ordinis, quam opera purè vegetabilium; ità similiter generatio spirituum animalium, & vitalium non est purè vegetabilis, imò & ipsorum fabrica non solum fit à facultate coëctrix cordis, & cerebri, sed etiam à peculiari facultate vitali cordis, & animali cerebri.

Præterea etiam quia si solum spiritus actione purè vegetabili, & merè naturali coëctrix, quatenus talis, producerentur, quin vitalis facultas cordis, & animalis cerebri aliquid operentur, & minimè concurrentibus ad fabricam spirituum animalium & vitalium, sequeretur, quod potius in hepate ubi perfectius residet coëctrix, & vegetabilis facultas, producerentur spiritus ejusmodi generis. Si ergo solum in corde, & cerebro generantur. Ergo quia ab actione peculiari cordis, & cerebri aliquid recipiunt, influit facultate vitali cordis, & animali cerebri in spirituum generationem, à quibus omnes partes accipiunt, & mendicant virtutem ad opera vitalia, & animalia, ac per consequens actio productiva spirituum media est per participationem geminarum facultatum, naturalis coëctrix, quæ se habet per modum inchoantis, & vitalis cordis, quæ se habet per modum perficientis in productione spirituum vitalium.

Vallesius noster 2. *Controvers. cap. 18.* absolute tenet, spirituum omnium generationem solum fabricari à facultate naturali coëctrix insita cordi & cerebro, per sequentia verba. *Ità igitur censeo, naturalem facultatem spiritus gignere in cerebro, & in corde, diversos quidem juxta differentiam naturæ earum partium. & illa quidem Natura est, quæ facit membrum esse idoneum, spiritum talem gignere, & spiritu tali ut ad has, aut illas actiones, & est quidem idoneum gignere quæ naturali facultate præditum; uti vero quæ animali, aut vitali.* Ex Vallelij nostri verba ad litteram translata, quibus suam mentem explicat: si tamen mature ipsa perpendamus, censeo quidem, illustrare nostram conclusionem, siquidem naturalis facultas cordis, & cerebri ejusdem speciei est. Si ergo hæc gignit spiritus diversos, juxta differentiam, naturæ earum partium, & ea natura est, quæ facit membrum esse idoneum spiritum talem gignere, & spiritu tali uti. Ergo peculiaris natura, seu facultas peculiaris cordis, & cerebri concurrat ad spirituum generationem. Patet consequentia, quia si secludamus, concursus facultatis animalis cerebri, & vitalis cordis in productione spirituum, & solum concurrat facultas naturalis coëctrix, non est assignabile principium diversitatis specificæ spirituum, quippe facultas coëctrix naturalis eadem est in specie in cerebro, & corde, locus, autem diversus cordis & cerebri, ubi fabricantur spiritus minimè influere potest in diversitatem specificam ipsorum (cum sint spatia inania) nisi facultates peculiare partium, in quibus Natura artificiosè machinavit tales cavitates, seu ventriculos, peculiariter influent. Ergo nisi spiritus procedant à facultate animali cerebri, & vitali cordis, non est intelligibilis ipsorum diversitas specifica, vel quasi generica, quia plus differunt spiritus quàm humores inter se. Concurrat ergo facultas naturalis coëctrix ad generationem spirituum tanquam principium primum in ordine, inchoando talem productionem, eò quod omnia alia facultas indigeat ministerio naturalis facultatis: vitalis verò, & animalis facultas concurrunt perficiendo hujusmodi generationem, & hæc ratione intelligenda sunt ultima verba Vallelij, videlicet, *Et est quidem idoneum* (id est membrum ubi generantur spiritus, de quo facit relationem) *gignere, quæ naturali facultate præditum: uti vero, quæ animali aut vitali.* Ex his infertur, Ergo in sententia Vallelij saltem concurrat facultas

facultas animalis cerebri, & vitalis cordis ad usum spirituum; sed talis usus non potest facere illos spiritus esse specie diversos nisi à peculiari, & diversa natura cordis, & cerebri aliquid in ipsis influat, utpote per actionem naturalem coctricem in specie unam, à qua fiunt in sententia Valesij non possunt diversificari, ut ipse fatetur. Ergo si accipiunt diversitatem juxta differentiam naturæ earum partium, colligitur rationaliter ex hac doctrina Valesij geminam facultatem concurrere ad productionem spirituum naturalem, & vitalem, alteram inchoantem, talem generantem: alteram verò perficientem, ut à nobis explicatum est.

Hinc facile erit solvere argumenta, si quæ militant contra nostram resolutionem. Ad primum desumptum ex Galeni mente 9. de *Vsu part.* dicimus, potius conducere pro nostra conclusione, nam tenet, *Spiritum animale quamplurimum continere qualitatis proprietatem ex sui ipsius coctione adeptam.* Si ergo quamplurimum continet ex coctione. Ergo totum, quod continet spiritus non participat ex vi actionis coctricis; imò relinquatur locus, ut animalis facultas cerebri perficiat actionem generativam spiritus, sigillando ipsos pro actionibus animalibus.

Neque ex eo, quod animalis spiritus ex vitali perfectiùs cocto fiat, sequitur, non intervenire ad generationem spirituum, facultatem vitalem, & animale; sed certum est, utramque facultatem concurrere, naturalem inchoantem, & animale & vitalem perficientem illam generationem. Sic solvitur alterum argumentum desumptum ex 7. de *Placitis*, sicut & alterum Hippocratis locum ex *libello de alimento*, nam ibi etsi denotet, spiritus fieri per coctionem; non tamen negat concursum simultaneum facultatis vitalis, & animalis: quæ ex vi peculiaris concursus communicant spiritibus virtutem vitalem, & animale, & sic licet ad animale solum spectet sentire, & movere, & ad vitalem pulsare: hoc sufficit, ut perficiatur generatio spirituum, & diversitas specifica ipsorum intelligatur. Unde argumentum, quo utitur Valesius nihil probat contra nos. Neque ultima confirmatio, quippe etsi verum sit nihil generari nisi coctum, neque putrescere nisi supponat coctionem; Nos id fatemur, quia semper in generatione spirituum supponitur coctio ad actionem perfectivam facultatis vitalis, & animalis, quo bene stat, ut utraque facultas concurret ad productionem spirituum; naturalis quidem inchoando, vitalis, & animalis perficiendo, & sic actio media est per participationem, spirituum generatio, ut supra à nobis demonstratum est.

C A P U T V.

De loco ubi generatur Spiritus Vitalis, & materia ex qua fit.

ITà certa est spirituum vitalium generatio in nostro corpore, ut nullo egeat scrutinio: certum est etiam inter spiritus habere primum locum vitales, & sic in presenti inquirimus locum ubi generantur, & insuper materiam, ex qua fiunt. Circa primum certum est, vitales spiritus

generari in sinistro ventriculo cordis, & ab ipsius facultate tanquam ab efficienti, ita Avicenna *fen. 1. lib. 1. doct. 8. cap. 4.* per sequentia verba. *Et sicut apud Medicos hepar prima generationis est principium, ita cor generationis secundæ principium existit.* Ubi advertit Avicennam sermonem facere de fabrica spirituum vitalium. Priùs autem Aristoteles id insinuaverat *lib. de communi animalium motu.* Certum est etiam spiritus vitales generari in arteriis; ita Galenus 7. de *Placitis*, cap. 3. clariùs tamen *lib. 8. cap. 8. sic. Arteria dum distenduntur per capita, quibus cutem adveniunt, exteriorem aërem in corpus trahunt, atque id tribus de causis, ut refrigerent, ut ventilent, ut spiritum gignant.* Ratio etiam desumitur ex eodem Galeno *libro An sanguis in arteriis contineatur, cap. 4.* ubi expressè docet, eundem usum præstare arteriarum motum, etiam quantum ad generationem spirituum, sicut & ipsius cordis. Cùm ergo arteriæ pulsent, sicut cor, ut per se patet, talis motus debet ordinari ad eundem finem, sicut & motus cordis; sed hic non solum dirigitur in attemperationem caloris, verum etiam in spirituum generationem. Ergo & motus arteriarum. Non ergo est ratio cur ipsis denegemus generationem spirituum vitalium.

Neque valet, si aliquis respondeat, motum arteriarum solum esse propter generationem spirituum in corde. Nam contra instatur: Motus arteriarum non est solum propter cordis attemperationem, (aliter enim oporteret patere ingressum totius aëris attracti per arterias ad cor contra Galeni placitum, eò quod valvula dilatatione clauduntur.) Ergo idem motus non solum erit propter generationem spirituum in corde, verum etiam in ipsis arteriis.

Nec valet si objicias, quia aër in arteriis non durat amplius, quàm sit tempus dilatationis ipsarum, quippe expellitur per compressionem: hoc autem tempus ad eò breve est, ut non possit sufficere ad generationem spirituum. Non, inquam valet, siquidem amplius durat aër intra arterias, quàm dilatatio, utpote per compressionem arteriarum aër non expellitur; sed fuligines; si enim aër expelleretur, neque in corde generarentur spiritus defectus hujus conditionis, quippe compressione expelleretur etiam, & sic non esset materia ex qua spiritus generarentur, de quo postea erit digladiatio, & constabit futile esse hoc argumentum, cùm spiritus ex vapore sanguinis potiori jure generentur.

Dices ulterius, arteriæ sunt frigida ex propria natura. Ergo in ipsis non possunt generari spiritus vitales, qui calidiores sunt. Respondeo, spiritus esse calidiores corde, & nihilominus in ipso generari. Ergo etsi arteriæ sint frigida ex propria natura, possunt in ipsis generari spiritus; præcipuè cum actu habeant calorem receptam à spiritibus, à quo, tanquam ab efficienti fit generatio simul cum calore arteriarum naturali. Sed contra potest instari solutio hæc, quia nulla causa efficiens accipit virtutem agendi ab effectu ab ipsa producto; sed cor, & arteriæ accipiunt vim à spiritibus vitalibus ad suas actiones: Ergo non producunt spiritus efficienter. Respondeo argumentum ostendere, ab illo spiritu singulari, qui se habet ut effectus, nihil recipere cor, & arterias, quod sit necessarium ad talem actionem; optimè tamen poterit recipere ab alia parte spiritus, quæ huic actioni supponitur; cùm

autem

usu respirationis, cap. ult. ubi docet interdum in viventi animali arterias, quæ sunt circa collum constrictisse, & vidisse totum illum diem sine impedimento inspirasse, & expirasse, & motum edidisse, ex quo inferitur, tunc solo aëre, spiritum animale generari, quippe erat interclusa via arteriarum carotidarum, quæ sunt juxta collum, per quas spiritus vitalis permeat ad cerebrum. Cum ergo toto illo tempore spiritus animales generentur in cerebro ob eorum indigentiam, sequitur tunc ex eo solo aëre, tanquam ex immediata materia generari.

Contra adductam doctrinam stare videtur alterum experimentum Galeni *lib. de usu pulsuum, cap. 2.* ubi tenet quod laqueatis arteriis cerebrum ingredientibus, salva manente respiratione, cessant animales actiones. Ecce Galenum *lib. de usu puls.* docere, animal motum edidisse obstructis arteriis, quæ sunt juxta collum: In hoc tamen *cap. 2. de usu puls.* tenet expressè, animales actiones cessare in viventi, eisdem arteriis laqueatis, ex quo potest inferri contra adductam doctrinam, aërem non esse materiam generationis spirituum animalium, quippe nullà aliâ ratione cessant animales actiones, obstructis arteriis, quæ sunt juxta collum, quàm ex eo quod spiritus vitales non perveniunt ad cerebrum, ex quibus fiant animales. Ergo aër non sufficit pro generatione spirituum animalium, ac proinde soli spiritus vitales sunt materia animalium. Responderi potest pro conciliatione locorum Galeni, in primo testimonio docere per obstructionem arteriarum juxta collum, actiones animales non deficere statim, sed per aliquod tempus servari motum in animali: At in secundo testimonio docere, quòd si arteriæ juxta collum sint laqueatæ, non poterunt actiones animales per multum temporis spatium perseverare; unde remanet locus, ut dicamus, ex aëre posse generari tunc spiritus animales.

Contra tamen instari posset solutio, argumento desumpto ex plexu rectiformi arteriarum, juxta cerebrum ab Anatomicis admissum & inventum, in quibus servantur spiritus vitales, tanquam futura materia animalium spirituum. Ergo cum tempore, in quo sunt obstructæ arteriæ juxta collum, licet non ascendant spiritus vitales per ipsas, sint tamen reservati in arteriarum circumvolutione juxta cerebrum, alij spiritus vitales ex ipsis possunt generari animales, tanquam ex immediata materia, & non ex aëre: ac proinde ex illo argumento non demonstratur, ex aëre tunc fieri spiritus animales.

Nos tamen asserimus ex aëre puro non posse generari spiritus animales, neque ex ipso permixto cum altero corpore per juxtapositionem, dummodò ex materia aëris non sit mixtum, eo modo quo philosophavimus *capite præcedenti*, ubi probavimus, spiritus vitales minime posse generari, ex aëre tanquam ex materia. Rationes quas ibi adduximus, æquè probant de generatione animalis spiritus, & sic ad hunc locum poterit quisque transferre. Hujus opinionis fuit Petrus Garcia, Carrero dum de materia spirituum vitalium agitabatur controversia. Cæterum in præsentis lite, *disput. 40. supra citat. cap. 10.* in calce ipsius proponit dubium, An ex Galeni experimentis colligatur ex

aëre solo tanquam ex materia, fiat spiritus animalis, aut ex vi permixtionis cum altero corpore, ita ut fiat prius mixtum, ut non concedamus fieri ex solo aëre spiritum animale. Dubitationem propositam solvit per sequentia verba. *Certè non constat aperte quid dicendum sit.* Solutio quidem indigna tanti Authoris, quando quidem expressè dicat ex solo aëre non posse generari spiritum vitalem. Cum ergo rationes, quæ id demonstrant, eodem modo militent, de impossibilitate generationis spiritus animalis ex solo aëre, meritò talis Doctor inconstantia est reprehendendus.

Neque Galenus cum Hippocrate sinistrè interpretantur, si dicamus, loqui de aërea substantia, quæ sit verum mixtum, quando tenent ex aëre fieri spiritus animales, sicut etiam fit ex odoribus, & vaporibus tenuibus ut constat ex celeri reparatione, quæ fit in animi deliquio, adhibitis odoribus, signum testificans, non fieri prius permutationem in vitales spiritus, ut ex ipsis fiant animales; sed quia examen hujus rei ad arma nos vocat, ad ipsum properare licet, sermone finito de materia aëris.

Spiritus vitales esse materiam animalium spirituum certissimum est inter Doctores sequentes Galenum, *lib. 7. de usu part. 8.* ubi ait. *Cæterum, spiritus, qui ab asperis pulmonis arteriis trahitur extrinsecus, in pulmonis quidem carne primum conficitur, postea vero in corde, & arteriis, & his maxime, quæ in plexu sunt rectiformi, ultimum, ac perfectissimè in cerebri ventriculis.* Constat ergo ex his præparati spiritum vitalem in arteriis, præcipuè quæ sunt juxta cerebrum ex rectiformi plexu, ut tandem in ventriculis cerebri fiat generatio animalium spirituum. Idem testatur, *4. de different. puls. cap. 2.* ubi tenet, esse institutum, ut mediocritas caloris nativi fervetur, & ut generetur animalis spiritus: *Libro etiam 9. de usu part. cap. 4.* de generatione spirituum animalium sermonem faciens, sic facit. *Et huic generationi utilitatem maximam plexum illum arteriarum attulisse, alias frustra esset à natura formatus.* Ex his ergo constat juxta Galeni mentem spiritus vitales esse materiam, ex qua animales generentur.

Difficile tamen videtur, plexum illum arteriarum, seu ipsarum circumvolutionem juxta cerebrum conducere ad generationem spirituum animalium ex vitalibus ibi residentibus intra cavitatem illarum arteriarum, nam cum plexus ille sit factus ex arteriis, potius debet conferre ad generationem spiritus vitalis, quàm animalis, more reliquarum arteriarum, ut supra docuimus. Quare examinare oportet, quid præstet circumvolutio illa arteriarum juxta cerebrum, quod ad spirituum animalium generationem conducatur; cum certum sit, arterias illas virtute propria, neque à corde mendicata, minime posse generare spiritum animale quippe solum disponunt, sicut aliæ arteriæ ad vitalis spiritus generationem, & conservationem, neque cerebrum intra illas arterias, quæ sunt intra ipsius spheram, generabit spiritum animale cum non sint instrumenta cerebri, nec à natura dicata pro actionibus animalibus & sic magis consentaneum rationi videtur intra cerebri substantiam, seu in ipsius ventriculos generari spiritus animales ex vitalibus, ac proinde impertinens esse plexum illum arteriarum

pro generatione Spirituum animalium : Hoc argumentum adducit Argenterius.

Certum tamen est, arterias illas continere spiritum vitalem, tanquam futura materia animalis spiritus ibique preparari vitales spiritus, & disponi intra propriam formam, ut facilius à cerebri facultate possit generari animalis spiritus. Sed adhuc restat explicare in quo consistat talis præparatio, aut quæ sit illa dispositio, quam comparant vitales spiritus in plexu illo arteriarum, ratione cujus uberrima, & facilis fiat animalium spirituum generatio ex illis vitalibus, qui repositi, juxta positi sunt in dicto plexu arteriarum.

Ludovicus Mercatus, *lib. 1. part. 4. clas. 5. de partibus artic. 2.* asserit, per calorem cerebri reddi spiritus vitales perfectiores, & temperatiores mediâ concoctione, separatis ab ipsis fuliginosis excrementis, à quibus non satis purgantur in arteriis, quo fit, ut tenuiores, & lucidiores supersint, & hac ratione reddantur magis apti, ut à cerebri facultate transmutentur in animales spiritus. Si objicias, non posse reddi tenuiores dum à cerebro alterantur per coctionem spiritus vitales, cum ex Philosopho constet ea quæ coctione alterantur, crassiora fieri. Responderi potest cum communi opinione, spiritum animale esse tenuiorem toto alio spiritu, crassiorem verò parte immediata, ex qua fit. Unde doctrina Philosophi salva manet.

Sed contra Mercatum se offert, quod cum cor sit calidius arteriis, & à majori calore fiat major attenuatio, potius in corde recipient spiritus majorem tenuitatem, & dispositionem, quam in plexu arteriarum juxta cerebrum, & sic nulla in ipsis dispositio producit in spiritu vitali, quæ conducatur ad animalis generationem. Si respondeas in plexu arteriarum magis detineri spiritus vitales, quam in corde, & sic magis attenuari. Poterit instari, quod calor cordis est intensior, & sic poterit in minori tempore producere in spiritibus ab ipso productis, saltem æqualem tenuitatem. Ergo non poterunt tales spiritus comparare novam tenuitatem, seu dispositionem in plexu arteriarum juxta cerebrum, ut facilius convertatur in animales spiritus. Difficile etiam videtur in spiritibus vitalibus esse internas fulgines, quæ ex vi actionis cerebri separentur, & non separatæ ex vi actionis cordis, quando ab ipsa generantur, & sic hac ratione non possunt resultare tenuiores spiritus animales.

Noster Petrus Garcia, *loco supra citato*, tenet spiritus vitales in plexu arteriarum preparari intra dispositionem connaturalem ipsorum, quæ eum habeat latitudinem, potuit recipere in corde sufficientem, ut producat formam, & insuper in plexu arteriarum intensiorem & accidentalem perfectionem, propterea quod ibi amplius detinentur spiritus vitales, & hac ratione facilius generantur animales ex vitalibus ibi preparatis, & dispositis.

Peccat tamen iste Doctor ex eo, quod non exprimit talem præparationem, neque explicat an sit major attenuatio, neque à quo efficienti fit, nec per quam actionem; sed solum per majorem moram: si autem præparatio, quam accipiunt vitales spiritus in plexu arteriarum sit à calore cerebri per coctionem, seu ipsarum

Henriquez Laurea Medica Tom. I.

arteriarum, Militant argumenta contra ipsum, quæ aduximus contra Mercatum.

Sic dicendum est per majorem moram attenuari magis, mediâ actione cerebri coctrice & ipsarum arteriarum; at cum in corde illic distribuantur spiritus, qui generantur, & continua sit regeneratio, & distributio; accidit, ut solum recipiant à corde sufficientem alterationem, ut possit induci forma, & in plexu arteriarum per majorem moram attenuentur magis, pro animalium generatione: quod totum accidit intra connaturalem dispositionem spirituum vitalium, quæ latitudinem habet. Illic tamen se offert objectio, nam major attenuatio potius est dispositio pro spiritu vitali; Ergo non erit præparatio ad animale, quippe quod major est, & perfectior dispositio conservativa, eo magis resistit corruptioni propriæ formæ. Ergo ex vi talis præparationis potius redduntur spiritus vitales magis resistentes, quam idonei, ut ex ipsis generentur animales spiritus. Respondeo, quod licet spiritus vitales, & animales differant specie physicâ; nihilominus habent dispositionem aliquam, nempe tenuitatem, ita ut quo magis perficitur in spiritu vitali; facilius transmutatio fiat in spiritum animale, major autem attenuatio fit à calore cerebri nativo, influenti, & ipsarum arteriarum, in quibus magis detinentur spiritus, & sic licet calor sit remissior in dictis partibus, quam in corde; nihilominus, quia actio cerebri est magis temporanea, assiduo, & continuo labore attenuet magis spiritus vitales detentos diu in plexu arteriarum, & sic redduntur magis preparati pro generatione animalium spirituum qui sunt tenuiores vitalibus pro penetratione per nervos densissimos ex propria natura, quibusvis sentiendi communicatur.

C A P V T VII.

An Spiritus Animales sint lucidi?

Argenterius, *lib. Art. Medicinalis pag. 155.* asserit vulgatam satis esse opinionem asserentium, spiritus animales esse lucidos, eò quod nulla sit ratio, quæ id suadeat; etenim ex nullo capite potest demonstrari necessitas; splendoris, seu lucis in spiritibus animalibus, quippe ad animales actiones exercendas, nullo modo conducit lux; cum certum sit internas potentias non indigere lumine, ut operentur; item neque externos sensus, nam si ad aliquem conduceret, maximè ad visum, eò quod sine lumine visio non celebratur, qua ratione Galenus, *7. de Placitis, cap. 6.* tenet, in suffusione lædi visionem, quoniam impeditur exitus interni luminis ad extra; sed nullum potest esse internum lumen, nisi in spiritibus animalibus. Ergo quia lucidi sunt. Hæc tamen ratio claudicare videtur, eò quod ut visio celebretur, minimè est necessarium aliquid extra mitti, præsertim luminosum, cum sit opinio magis certa inter Philosophos, & experienciâ comprobata, lumen potius requiri ex parte objecti, aut ex parte medij (ut altera opinio minus probabilis tenet, nulla tamen est, quæ asserat ex parte potentiæ esse ne-

E e 2.

cessariam

cessariam lucem ad formandam visionem. Ergo neque ad sensationes externas confert lux, ac proinde ad nullam ex operationibus animalibus est necessaria lux. Ergo ea non debet concedi in spiritibus animalibus.

Contraria tamen opinio est verisimilior, & magis recepta inter Medicos, nempe spiritus animales ex propria natura esse lucidos. Hanc opinionem tuetur Galenus, *lib. 3. de loc. affect. cap. 7.* ubi ait. *Quemadmodum externa tenebra pavorem inducunt, sic atra bilis color mentis sedem tenebris similem reddens, timorem efficit.* Hoc autem accidere non potest, nisi quia cerebrum privatur splendore ab spiritibus animalibus diffuso per colorem nigrum atræ bilis. Ergo ex hoc testimonio deducitur sentire Galenum spiritus animales lucidos esse. *Libro etiam 10. de usu partium, cap. 6.* asserit in *lib. de visu*, se demonstrasse, spiritum visivum lucidum esse. Cum ergo talis spiritus sit animalis, sequitur ex mente Galeni splendorem esse ex propria natura animale spiritum. Insuper etiam hanc veritatem experimento conatur suadere, *lib. 7. de placitis cap. 4.* eò quod in somnis patefactis palpebris oculorum magnam ante oculos lucem solitum fuisse videre fatetur, idque aliis sæpè contingere narrat, & tunc signum est, ut imminet periculum obstructionis in nervis opticis, quâ ratione ab humore obstruente pelluntur spiritus animales ad extra, quorum lumen producit speciem in oculo, & sic videtur; cum autem splendor ille nullius alterius corporis possit esse, nisi spirituum animalium, deducitur manifestè lucidos esse ex propria natura. Hoc ipsum confirmat alterum experimentum nam per oculorum compressionem, & motum videmus fulgorem in tenebris, hoc autem non potest refundi in aliud præter lucem spirituum animalium, qui per compressionem ad extra pelluntur. Ergo. Neque valet si dicas, quod ille fulgor non videtur, ab alio: nam responderi potest, quod si poneretur in simili distantia, videret absque dubio illud lumen, quod valde remissum est, & sic ad majorem distantiam non potest mittere speciem sui.

Neque aliud voluit significare Fernelius, *lib. 4 part. natural. cap. 2.* ubi intendens definire spiritum ait, esse corpus æthereum, & Arist. interdum consuevit nomine ætherei intelligere ignem. Si ergo spiritus æthereus est, & hac ratione accedit ad naturam ignis, merito participabit splendorem, & lucem, etenim quicquid igneum est, lucidum erit: quo fundamento censeo, non solum spiritus animales esse lucidos, verum & vitales, quippe omnes sunt calidissimi, tenuissimi, & levissimi, facile mobiles & ætherei, & sic ignei dicuntur. Ergo omnes debent participare splendorem, & lucem. Ità Avic. *lib. 1. de medicinis cordialibus cap. 8.* ubi asserit, spiritus vitales instar ignis micare.

Ratio verò in contrarium adducta nihil probat, nam licet ad nullam actionem lumen spirituum sit necessarium, indè non colligitur, spiritus non habere talem qualitatem, & frustra ipsis esse concessum splendorem, etenim lux est qualitas naturalis debita spiritibus, & procedens à propria forma ipsorum propter ornatum; non verò quia sic dispositio ad agendum, constat exemplo figuræ, quæ est quarta species qualitatis, & tamen ad nullam actionem con-

ducit, sic ergo de lumine dicendum est procedere à propria forma spirituum, tanquam ab interno principio; sicut in igne, & Sole, quin sit necessarium asserere, lumen conducere, & influere in actiones.

Dices, spiritus vitales, & animales sunt calidi, & humidi, juxta communem Doctorum consensum, ut infra constabit. Ergo potius accedunt ad naturam æris, quàm ad ignis naturam. Non ergo sunt lucidi, cum aër ex se splendorem non habeat.

Aliâ ergo ratione investigari debet lux in spiritibus omnibus. Respondeo ignem quemdam esse elementalem, cui conjuncta est lux cum calore, & siccitate, quæ sunt qualitates naturales ipsius: alterum verò ignem esse cælestem, qui fulgorem habet, & purus, & simplex est absque ulla ex primis qualitatibus, & est materia cælestium corporum, & diversæ naturæ ab igne elementalī. Hujus ignis cælestis portio dispersa est per inferiora, ex cujus permixtione cum elementis colores flammei nascuntur, ut in iride, & nubibus permixtione lucis, & opaci multos colores videmus generari, & hac ratione in coloribus natura est ignea cælestis, non elementalī: sic etiam oculi felium, leonum, & aliorum animalium in tenebris coruscant, quoniam ignis cælestis naturam habent, cui debita est lux. Nobis etiam claudentibus oculis, aut in tenebris existentibus, multi videntur fulgores ante oculos observari: hoc autem minime intelligi potest, nisi interius ignis ille cælestis delitesceret. Delirescunt sanè spiritus animales, quorum magna copia ad oculos confluit, qui ignei sunt, cælesti igne: Et hac de causa magis propria significatione ætherei dicuntur ab Aristotele, quoniam habent naturam, seu ignem cælestem: Ecce quomodo spiritus animales, & vitales, etsi non sint ignei, elementalī igne, quia sicci non sunt, fulgorem non habent ex propria natura.

CAPVT VIII. ET VLTIMVM.

De temperie Spirituum Vitalium, & Animalium.

DE primis, & secundis qualitatibus procedit controversia; de secundis tamen, quibus pollent spiritus, animales, & vitales, constat, si suprâ adductam definitionem spiritus perpendamus, juxta Galeni mentem: dixit enim spiritum esse corpus tenuissimum, & levissimum, eorum, quæ sunt in corpore. Et quidem tenuitas colligitur, tum ex facili, & vario motu spirituum, ut in passionibus animi experimur in quibus ad diversas corporis partes impetose, & facile moventur, aut expulsi, aut attracti à membris propter ipsorum aptitudinem ad quemlibet motum, non quidem ab interno principio, neque quia vivant (ut falsò aliqui putarunt, & sine fundamento) tum etiam ex imperceptibili ipsorum quantitate.

Nec valet si dicas, varios motus spirituum oriri à levitate ipsorum, quippe levitas solum conducit ad motum sursum; cum autem spiritus moveantur ad intrâ, & ad extrâ, sursum, & deorsum, indè fit ut non moveantur propter levitatem a

levitatem quâ pollent; sed ex eo quodd impellantur, aut attrahantur à membris juxta diversas animi, aut corporis passiones.

Circa primas qualitates communis opinio, & apud omnes Medicos recepta est, spiritus esse calidos & humidos; nam conducunt ad perfectius operandum, & ad conservationem perfectioris temperie; sed perfectior temperies, & quæ dicitur ad justitiam est calida, & humida; Ergo spiritus, qui sunt instrumenta facultatum, & sunt concessi ad conservandam perfectiorem temperiem, debent esse calidi & humidus. Præterea etiam à posteriori colligitur; nam spiritibus deficientibus, membra redduntur frigida, & sicca. Ergo sunt calidi, & humidus; ita Avicen. lib. 1. fen. 1. doct. 3. cap. 1. Hæc autem doctrina non solum probat de spiritibus vitalibus, verum etiam de animalibus, præcipue quoad calorem; nam omnes sunt tennes, & leves; cum autem hujusmodi qualitates à calore procedant, sequitur infallibiliter, omnes spiritus esse calidos.

In dubium tamen vertitur, quis ex spiritibus sit calidior, vitalis, an animalis; Et quidem videtur, animalem spiritum calidiorem esse, tum quia de ipso nemo dubitat lucidum esse; sed lumen continet eminenter calorem. Ergo ubi est major lux, est intensior calor; sed spiritus animalis præcipue lucidus est. Ergo in ipso relucet major calor. Insuper etiam probatur hoc idem ex eo quodd ex vitali spiritu sit animalis per majorem coctionem; sed quæ coquuntur calidiora redduntur. Ergo saltem animalis spiritus factus ex vitali est calidior.

Doctrina magis recepta est inter Authores, spiritus vitales esse calidiores. ratio desumitur à causa efficienti; quæ frigida est ex propria natura, quippe producuntur à cerebro, quod est membrum frigidum, & licet juvetur à calore spirituum vitalium, ut potè per actionem coctricem producuntur spiritus animales, non inde infertur calidiores esse spiritus animales vitalibus: siquidem nulla causa potest producere immediate totam intensiorem, quam in se habet. Unde etsi cerebrum juvetur à calore spirituum vitalium quando generat animales spiritus, neutiquam poterit producere totam intensiorem in materia immediata, & sic virtute illius actionis non possunt resultare calidiores spiritus animales.

Neque valet si respondeas, posse resultare calidiores à propria forma; nam licet posset ita fieri, nulla est ratio, quæ id suadeat, imò oppositum possumus colligere, si opera ad quæ deserviunt spiritus vitales mature perpendamus; etenim à Natura sunt instituti, ut communicent partibus calorem vivificantem nativum, sive innatum calidum, necnon etiam vitalis calor facit pro coctione, nutritione, & augmentatione, totum quod evanescit in membris, deficientibus spiritibus vitalibus. Ergo ab ipsis mendicant membra calorem ad prædætas actiones obeundas. Insuper etiam à spiritibus vitalibus omnia corpora actu calida redduntur, imò, & ipsum cor. Ex alia parte si munus, & officium spirituum animalium consideremus, minime arguit intensiorem calorem, quippe solum conducunt ad sensum, & motum, imò ipsis præsentibus, & resolutis vitalibus spiritibus, frigidum redditur corpus, & syncope animalis corripitur. Ergo præcipuum instrumentum caloris est spiritus vitalis, cui intensior calor merito donatur, ut opera relata demonstrant.

Henriquez Laureç Medicç Tom. I.

Neque in contrarium adducta argumenta aliquid probant; nam etsi lucidi sint spiritus animales, cum illa lux potius sit cœlestis, quam participata ab elemento igneo, non arguit intensiorem calorem. Et licet concedamus lucidos esse elementaliter luce, non inde sequitur calidiores esse spiritibus vitalibus, quippe etiam lucidi sunt, & ex hac parte æqualem, saltem intensiorem caloris deberent participare. Secundum argumentum solvitur si dicamus, ea quæ coquuntur resultare calidiora extensivè; minime intensivè, ut late Tractatu nostro de Coctione, docuimus.

Restat tamen diluendus scrupulus; nam supra docuimus, animales spiritus esse tenuiores vitalibus; cum autem tenuitas sit effectus caloris, videtur, majorem tenuitatem esse indicem majoris & intensioris caloris. Respondeo, plures negare spiritus animales esse tenuiores, ex eo quodd fiant per coctionem ex vitalibus, & quæ coquuntur crassiora redduntur ex Philosopho, & hac ratione consequenter fatentur crassiores esse, de quod argumento supra egimus, & docuimus, quomodo sit hæc doctrina Philosophi intelligenda in spiritibus animalibus factis ex vitalibus tanquam ex materia. Modò tamen juxta nostram doctrinam, in qua insinuavimus, spiritus animales esse tenuiores, ut facile penetrarent per substantiam nervosam.

Respondemus, quodd etsi tenuiores sint animales spiritus, non inde infertur esse calidiores; nam tenuitas oritur ex eo quodd vitales spiritus, ex quibus animales generantur, diutius derinentur in circumvolutione arteriarum juxta cerebrum, ubi actio caloris durat magis, & sic attenuantur magis illi spiritus vitales, ut ex ipsis fiant animales; non tamen ab intensiori calore, unde illa major tenuitas potest comparari in animalibus spiritibus, quin ex ea colligamus intensiorem calorem.

Major tamen digladiatio inter Authores est circa examen illius dubitationis, quæ inquiri, An spiritus vitales sint calidiores ipso corde? Communis opinio tenet spiritus vitales esse calidiores corde. Fundamentum hujus assertionis desumitur ex Avicen. fen. 1. lib. 1. cap. 2. ubi enumerans partes calidas, primo loco enumeravit spiritus, & deinde cor. Ergo sentit, spiritus esse calidiores: Ratione etiam idem probant, nam spiritibus vitalibus deficientibus, pulsus sunt minores; signum quidem indicans, calorem esse remissum, quippe præsentibus spiritibus, pulsus erant majores pro satisfactione usus, seu finis adacti: sed si spiritus non essent calidiores corde, pulsus non essent minores. Ergo ex mutatione pulsus colligitur calor intensior in spiritibus. Et confirmatur, nam si perseveret spirituum vitalium resolutio, frigitur cor. Ergo quia à spiritibus alteratur, & recipit majorem calorem. Patet consequentia, nam si cor ex se haberet majorem calorem, etsi spiritus evanescerent, calidum perseveraret; contrarium autem experimento constat. Ergo quia spiritus vitales sunt calidiores. Tandem probant idem assumptum, quia omnes partes indigent calore vitali, ut vivant; sed cor vivit, sicut & reliqua membra. Ergo à spiritibus recipit calorem, ac proinde sunt calidiores.

Probabilior opinio est, cor esse calidius spiritibus vitalibus. Cujus contrarium minime constat ex Hipp. neque ex Gal. neque ex Avicenna, ut in solutione argumentorum constabit, & ratione ostenditur, nam spiritus vitales procedunt à corde

tanquam à causa efficienti. Ergo intensior est in corde, quippe intensior virtus est in causa, quam in effectu ab ipsa producto. Si respondeas effectum posse esse calidiorum causa, ex eo quod à propria formâ resultat intensior calor in ipso effectu producto, unde potest accidere, quod licet spiritus producantur à calore cordis intensiori in ipso fieri spirituum; tamen à propria spirituum forma, pullulet postea intensior calor, quam sit in causa producente, ut constat in ossis generatione, in qua à propria formâ ossis resultat frigiditas, etsi causa producens sit calida. Hæc tamen solutio, etsi possit esse vera, nihilominus non semper tenet, neque in nostro casu apparet fundamentum, quod convincat à propria formâ spirituum debere resultare intensiorem calorem, quam sit in corde, utpote ex nullo capite, neque experimento constat, ut patebit ex solutione argumentorum.

Neque valet solutio aliquorum affirmantium in corde esse aliquas partes calidiores spiritibus à quibus producuntur; attamen totum cor non esse calidius spiritibus; nam juxta nostra principia de existentia formali elementorum in quolibet mixto non habet locum solutio, cum in omni mixto sint partes igneæ. Præterquamquod mixtum denominatur calidum ab exuperantia partium calidarum supra reliquas; unde si totum cor est minus calidum, quam spiritus, non erit agens calidius, à quo producantur, ut sic salvetur illa propositio, quæ erat fundamentum nostræ assertionis; ac proinde si ex alio capite non constat de intensiori calore spirituum, absolute dicendum est, intensiorem calorem esse in corde, tanquam in causa producente, quam in spiritibus ab ipso productis.

Probatum ulterius conclusio nostra; nam calor intensior in spiritibus non est necessario concedendus, ut ab ipsis calefiat cor, quippe cor ex se in prima productione spirituum proprio calore generavit ipsos, tanquam officina præcipua ad id à Natura destinata. Ergo in successiva regeneratione spirituum cor nullo modo eget calore à spiritibus communicato. Patet consequentia, nam prima productio spirituum est ejusdem ordinis, & perfectionis cum reliquis; sed ad primam productionem non fuit necessaria alteratio spirituum.

Ergo neque ad reliquas. Nec valet si dicas alterari ab spiritibus communicatis in utero à matre ipsum cor in prima formatione, nam ad hoc non est necessarium quod spiritus sint calidiores; siquidem cor, & omnia membra indigent actione à calore spirituum, ut actu sentiantur calida; sed ut actuetur calidum cordis non est necessarius calor intensior, utpote piper, & quodlibet alimentum potentia calidum actuatur à nostro calore, qui remissior est calore potenciali, aut eminentiali piperis, & postea resultat intensior calor in pipere. Ergo etiam si calor cordis indigeat calore spirituum, ad actionem poterit in corde resultare post actionem intensior calor, qui potentialiter, & eminentialiter in ipso continebatur, tanquam in causa æquivoca productiva ipsorum spirituum, & sic solvitur primum argumentum, & confirmatio ipsius, nec non etiam ultimum argumentum, nam omnia membra vivunt à calore vitali spirituum, quatenus ab ipso actuatur calidum innatum, & quia etiam producantur spiritus qualiter aliam irradiantem ad vitam necessariam: Ex hoc tamen non inferitur intensior calor in spiritibus, ut probatum est; neque ex eo quod deficientibus spiritibus fiant pulsus minores, colligitur intensior calor in ipsis; sed quia accidat refrigeratio partium, deficiente calore spirituum actuante; cum autem ad actionem sufficiat remissior calor, ex parvitate pulsus minimè inferitur maior intensio caloris in spiritibus.

Neque Avicenna loco citato contrarium docuit. Verba sunt sequentia. *Quod autem in corpore est calidius, est spiritus, & cor, à quo procedit.* Ex quo testimonio solum colligitur, spiritus, & cor esse corpora calidiora, respectu eorum, quæ intra nos existunt; non tamen quod spiritus sint calidiores corde, nam ibi non comparavit calorem spirituum cum corde: sed calorem spirituum, & cordis cum reliquis substantiis quæ sunt in nostro corpore, & sic non colligitur, ex eo quod primum numeravit spiritus, quod sint calidiores corde, cum ex alia parte fundamentum desumptum ex intensiori virtute, quæ debetur causæ, respectu sui effectus, semper maneat in suo robore. Unde absoluta manet questio, & Tractatus de Spiritibus finitus.

TRACTATUS

DE PARTIBVS CORPORIS HVMANI.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit Pars, & quotuplex?

Pro clariori intelligentia litris propositæ, supponendum est in præsentî non esse sermone de partibus physicis totius substantialis, quæ sunt materia, & forma; nec de metaphysicis partibus, de genere scilicet, & differentia, ex quibus componitur species; non quidem physicè, & realiter, sicut ex materia & forma; sed solum notionaliter, ut Logici aiunt, quarum partium speculatio ad Logicum, & Physicum spectat; Nos tamen in præsentî quatenus ad nostrum attinet institutum, solum de partibus integrantibus corporis viventis agimus; hoc est de substantiis facientibus unum per se, per veram unionem, & conjunctionem inter se in illo genere in quo est totum. In hac igitur significatione inquirimus, quid sit pars, seu membrum in corpore humano?

Galenus 1. *Meth. cap. 1.* sic partis naturam explicuit, *Quidquid enim totum complet, atque integrat, pars est.* Hanc definitionem non admittunt plures ex Doctoribus nostræ Scholæ, ex quibus unus est Doctor Martinez; ex eo quod temperamentum, humores, & qualitates influxæ, cum partibus principibus, complent totum, & ipsum integrant, & tamen non sunt partes viventis; ergo non est rectè tradita definitio partis per verba suprâ adducta à Galeno: Quapropter visum fuit nostro Petro Garcia, super Avicennam, *disputatione 36. cap. 1.* melius definiti partem per sequentia verba: *Pars est ex qua totum fit.* Hæc definitio reprobat à nostro Primario Martinez citato, *suo Tomo de rebus naturalibus, non naturalibus, & contra naturam folio 106.* ex eo quod competat qualitatibus, humoribus, & spiritibus, quippè non solum resultat, & integratur totum ex partibus quantitativis, verum etiam ex substantiis relatis, quæ verè partes non sunt. Avicenna etiam *fen 1. libro 1. doctrinâ 5. capit. 1.* partis naturam sic patefacere conatur, *Membrum est, quod ex prima humorum generatur commixtione.* Hanc definitionem non admittunt plures ex eo quod solum explicet materiam, seu humores ex quibus generantur partes, & cum in omnium opinione non sint humores materia necessaria ex qua omnia membra generantur, videtur ipsis claudicare Avicennæ definitionem.

Cæterùm, Galenus 1. *de usu partium, cap. 1.* videtur naturam, & quidditatem partis pleniùs

percalluisse, sic fatur, *Pars est qua neque undequaque circumscriptionem habet propriam, neque undequaque conjuncta est aliis.* Ubi nomine circumscriptionis, figuram, & conformationem intelligunt omnes Interpretes: Undè dispersa est, quæ neque undequaque propriam circumscriptionem, seu figuram, aut conformationem propriam habet, neque undequaque conjuncta est aliis; conceptus partis erit aliqua ex parte propriam circumscriptionem, figuram, & conformationem habere, & aliqua ex parte ipsam non habere; siquidem ea ex parte quæ est unita, necesse est propriam circumscriptionem, & figuram, seu conformationem carere.

Vallesius noster, 2. *Controversiarum, capit. 1.* & Petrus Garcia, *disputatione 26. super Avicennam, capit. 1.* Galeni definitionem nuper adductam, impugnare contendunt; ex eo quod partes similes, non habent propriam figuram, seu circumscriptionem, quæ gaudeant ex aliquo latere, & quæ ex altero priverentur; ergo ipsis nequitiam potest competere talis definitio. Antecedens probatur, nam si circumscriptio, seu figura, aut conformatio deberetur partibus similibus, quatenus similes sunt: defectus figuræ, aut conformationis esset morbus similiarium; sed morbus in conformatione est proprius partium organicarum, ut ex Galeno ostendimus *Tractatu nostro de Morbo, & Symptomate*, ergo partes similes non habent propriam circumscriptionem, ac per consequens minimè convenit ipsis definitio partis. Patet hæc ultima consequentia; etenim idem sonat, partem similem undequaque non habere propriam circumscriptionem; ac ipsam, aliqua ex parte habere propriam circumscriptionem: Sicut idem significat partem similem undequaque non esse unitam, sive conjunctam; sed constans est apud omnes, partes similes non habere propriam circumscriptionem, seu figuram; ergo ipsis non competit definitio partis, claudicat ergo manifestè.

Ulteriùs, quia etsi pars similis circumscriptionem aliquam propriam, seu figuram haberet, non competeret omni parti similari adducta definitio Galeni; nam ossa sunt partes similes; sed ex omni latere unita sunt aliis partibus, ergo ipsis non competit definitio adducta à Galeno.

Doctor Martinez loco suprâ citato, hanc Galeni definitionem tanquam veram toto corde defendere conatur, supponit enim tanquam certum partes similes non habere propriam circumscriptionem, seu conformationem, ut probat argumentum suprâ adductum, & nihilominus verificari de ipsis partibus similibus, sicut de organicis definitionem Galenicam adductam 1. *de usu partium.* Fundamentum hujus

Doctoris est, quia verba illa definitionis prima, nempe, *qua neque undequaque circumscriptionem habet propriam*, non significant aliquam habere, quippe ab hoc abstrahens Galenus ait, si aliquam habet non undequaque ea est; nam illa ex parte quâ conjuncta est, circumscriptione caret; sic similes ratione unionis eâ carerent similiter, si haberent circumscriptionem, idè que firmiter tenet rectè definire partem similem, & organicam, per illa verba, *qua neque undequaque circumscriptionem habet propriam, &c.*

Hæc tamen expositio aliena est à Galeni mente, ut ex contextu patet, quippè Galenus non loquitur conditionaliter, neque verba adducta denotant talem conditionem; utpotè Galenus absolute tenet partem esse, *qua neque undequaque circumscriptionem habet propriam, &c.* sed undequaque circumscriptionem non habere significat aliquam ex parte ipsam habere, & aliqua ex parte ipsâ carere, eâ scilicet quâ est unita; & hanc expositionem adducit Doctor Martinez pauld supra; ergo Galenus dum definit partem, potius significat aliquam circumscriptionem habere partem similem, (si ipsi competit definitio) quam ab hoc abstrahat; nam si abstraheret à circumscriptione, potius diceret, quod si forsan pars circumscriptionem habet propriam, ea non est undequaque; aut si mens Galeni esset negare circumscriptionem aliquam partibus similibus, aut ipsam non concedere; diceret fortassè, quidquid sit de circumscriptione propria partium, si ipsam habet quælibet pars, ea non est undequaque; atqui Galenus dum propriam partis naturam, & quidditatem ostendere conatur, absolute profert, *Pars est qua neque undequaque circumscriptionem habet propriam, &c.* quin ullam conditionem, neque abstractionem denotet; ergo talis expositio est extra mentem Galeni; etenim undequaque circumscriptionem non habere; est aliqua ex parte ipsam habere; si rigorosam verborum significationem perpendamus; ergo si hæc definitio competit partibus etiam similibus, concedit necessariò Galenus circumscriptionem aliquam seu conformationem partibus similibus; ac proindè defectus conformationis, erit morbus ipsarum partium per defectum alicujus debiti, ut probat argumentum adductum contra Galeni definitionem; non ergo solvitur à nostro Primario juxta expositionem noviter ab ipso adductam, & sic ruit ipsius doctrina.

Quare mihi videtur dicendum per definitionem adductam à Galeno i. *de usu partium*, explicari optimè conceptum partis similis, & organicæ; non tamen omnia verba adaptari parti similari, & organicæ; quippe pars similis, quatenus talis, nullam habet propriam circumscriptionem, ut supra demonstratum est, unionem tamen habet cum aliis similibus; non tamen omni ex parte; ad differentiam indivisibilis, quod omni ex parte unitum est; unde meritiò censeo omnia verba comprehendere, partes organicas, & similes; ità ut prima verba, nempe, *qua neque undequaque circumscriptionem habet propriam*, verificentur de partibus organicis, quæ sine dubio aliquam habere debent propriam circumscriptionem; ultima verò verba,

nempe, *neque undequaque est conjuncta, seu unita alteri*, verificantur de similibus, quippe similibus debetur unio, ea tamen, quam habere debent non debet esse undequaque. Ut differat ab indivisibili, quod undequaque est unitum; pars autem similis non debet esse undequaque unita; ergo in hac significatione optimè intelligitur definitio Galeni, quin ex vi ipsius cogamur concedere partibus similibus aliquam circumscriptionem propriam, seu figuram; sed solum unionem aliquam, non tamen omni ex parte.

Neque ob id omninò rejicienda est definitio supra adducta à Galeno, i. *methodi, capite i.* quippe etiam pars totum complet, & integrat ex ipso quod per aliquam conjunctionem cum altera totum componit; unde non sinistrè, nec longè à veritate Petrus Garcia partem etiam descripsit per illa verba, *Pars est ex qua totum fit*: etenim certissimum est totum compleri, & integrari ex suis partibus, & ex ipsis fieri, seu componi per unionem earum inter se, & in ordine ad totum quod componitur, & cum hac ratione non componatur, neque integretur ex humoribus, neque ex qualitatibus influxibus à partibus principibus, neque ex spiritibus; inde fit, ut cavillosè calumnientur hujusmodi definitiones à Recentioribus nostris; quandoquidem per variâ accidentia, quæ solis partibus competunt, describuntur.

Ex dictis constat impugnationem Valesij supra adductam non militare contra conclusionem; eò quod juxta nostram expositionem, partibus similibus non competunt prima verba definitionis, & sic nunquam de ipsis verificatur quod habeant aliquam propriam circumscriptionem; bene tamen, quod aliqua ex parte sint unitæ, & aliqua ex parte careant unione. Quomodò autem ossa, & partes carnosæ profundæ non sint, ex omni parte unitæ, intelliges clarè si consideres porositates omnium partium similiarium, ratione quarum, & ipsarum extremitatum eo latere quo terminantur per porum, minimè sunt undequaque unitæ, & sic solvitur argumentum de ossibus à Valesio adductum; & de partibus carnosis, quæ sunt in profunditate, quæ omnes non sunt unitæ ex omni parte, sicut indivisibile à quo discriminantur, quia ejus unio est undequaque; at unio partium similiarium non est undequaque, quippe una pars quantumvis similis, & homogenea non tangit alteram ex omni latere.

Circa secundum quod inquirimus, certissimum est partem dissecari in similem, & organicam; illa dicitur, quæ solum in partes ejusdem rationis, seu simillimas dividi potest, ut caro in partes carnis, & os in partes ossis; è contra verò organica pars est, quæ ex partibus dissimilibus componitur, & in ipsas dissecatur, ut manus, & caput, quæ ex diversis similibus componuntur, ità unitis inter se, & conformatis ut organum constituent, & tandem ex diversis organis unitis, & conformatis inter se, resultat totum organicum: Ità Philosophus, i. libro de historia Animalium, per sequentia verba; *Animalium partes, aut incompositæ sunt, quæ scilicet in similes sibi partes dividuntur, ut caro in carnes; aut compositæ, quæ secari apte in partes*

partes dissimiles sunt, non in similes, ut manus, Quibus verbis clarissimam primam, & secundam compositionem partium similitium, & organicarum notificavit. Ultimam tamen simul cum dictis explicuit Galenus, libro de differentiis morborum, capite 3. Ubi sic fatur, *Compositio autem, atque formatio in corporibus animalium triplex repetitur; ut venarum, seu arteriarum. Secunda instrumentalium, ut Cerebri, & Cordis; Tertia totius corporis, etenim unaquaque harum partium instrumentalium, ex simplicibus ad sensum est constituta; illarum vero qualibet, ex primis constant elementis.* Quibus verbis naturam partis similis, & organicæ ad amissim exploravit Galenus; insuperque docuit, partes similes quatenus tales solum importare compositionem ex elementis; quippe in suo conceptu solum exprimunt rationem mixti; Unde in nostro Tractatu de Morbo, merito docuimus, morbum in temperamento esse proprium partium similitium, sicut etiam morbum in compositione esse proprium partium organicarum, quoniam ex pluribus similitibus, seu similibus partibus ad sensum sunt constitutæ, taliter unitis, & conformatis inter se, ut organum constituent, per quarum improprietatem, seu variationem, aut defectum; figura, & conformatio, organo debita, variatur, & resultat morbus in compositione proprius partis organicæ.

Nec videatur difficile partem calidam continuari cum frigida, duram cum molli, quippe partes non continentur secundum excessum qualitatis, sed solum quoad materiam, & formam; ita ut per indivisibile ejusdem naturæ, quoad naturam totius continentur, eo modo, ac si corpus aliquod mixtum continuum, secundum aliquas partes caleferet, & secundum aliquas frigeret; similiter si aliquas partes haberet duras, & aliquas molles; nihilominus esset continuum secundum omnes suas partes ratione formæ, & indivisibilis continuantis; non quidem quia qualitates contrariæ in excessu impossibili continentur. Præterquam quod Avicenna inter partes valde oppositas, ut inter os, & carnem, concedit partem alteram mediam naturam habentem, in temperamento, ut nullum esset obstaculum ad continuationem, & totius compositionem.

Dubitant tamen Authores, an actiones fiant à partibus similitibus, an ab organicis, an verò simul à partibus similitibus, & organicis celebrentur. Galenus dubitationem solvit, 2. lib. Methodi, capite 10. per sequentia verba. *Protinus similitibus partibus occures; à quibus omnes animantium actiones sunt.* Nihil clarius pro resolutione dubioli propositi. Insuper etiam idem ostendit, capite 6. ejusdem libri, sic. *Quippe à similitibus functiones edi, eò quod esse cujusque instrumenti unam tantum similitem, reliquas vero, quæ cum hac quodvis instrumentum perficiunt, eas usus alicujus gratiæ illius, quæ prima erat actionis causa factas esse.* Ex his planè inferitur, à partibus similitibus omnes actiones celebrari, eò quod in quolibet instrumento una pars similis dicitur solum elicitive actionis, in qua facultas residet.

Dices, si varietur figura, compositio, aut organizatio cujuslibet membri, variatur actio,

aut pervertitur, aut forsitan aboletur; ergo actiones non solum eliciuntur à partibus similitibus, verum etiam ab organicis.

Respondeo, organa non addere supra partes similes virtutem aliquam activam, nec peculiarem, sed solum dispositionem quamdam accidentalem requisitam ad usum actionum, unde et si per malam compositionem lædatur actio, aut omnino deficiat, indè non inferatur elicientiam actionis in partem organicam refundi, sed solum in similitem, in qua residet virtus substantialis elicitive actionis, quippe organum nullum principium novum substantiale addit, supra virtutem partium similitium; sed solum denotat partes similes taliter situatas, & conjunctas cum tali figura, & conformatione; totum, quod nihil est distinctum substantialiter, sed accidentaliter, & dispositivè, requisitum ad elicientiam actionis, igitur in organo quatenus organum est formaliter, nulla residet facultas substantialis, ac per consequens ab ipso organo non procedunt actiones formaliter, quatenus organum est; sed ab ipsis partibus similitibus per quarum conjunctionem, & situationem, & figuram pars organica dicitur. Solum igitur organizatio conducit dispositivè ad elicientiam actionis, & præstat usum, non verò est principium elicitivum, ut constat ex doctrina adducta Galeni, quam communiter sequuntur omnes Doctores.

CAP V T II.

Per quid constituatur pars in esse Principis, & de numero ipsius?

Circa primum quod inquiremus, supponendum tanquam certum est, partem principem appellari, ratione Principis facultatis, quæ in ipsa residet, & à qua nostrum corpus gubernatur; ita Avicenna fen. 1. libro 1. doctrinæ 5. capite 2. per sequentia verba: *Membra, vero Principalia sunt, quæ primarum virtutum, quæ in corpore existunt, quæ ad hoc sunt necessaria, ut singulare, aut species perdurent, principia habent.* Nihil clarius.

Dicitur tamen Princeps facultas illa, quæ non solum pro utilitate, & bono partis ubi habet proprium domicilium operatur; sed pro bono communi, seu totius, aliquid simpliciter necessarium omnibus partibus, sine quo propria opera exercere non possint, communicat: igitur membrum dicitur Princeps, eò quod ab ipso dependant reliquæ partes in operari, quia aliquid communicatur ipsis simpliciter necessarium ad propria munera obeunda; unde pars Princeps, per independentiam ab altera in operari in illo genere explicatur; sicut ignobilis pars, per dependentiam ab altera, optimè declaratur. Et hoc ita receptum est apud Authores, ut nullo egeat speciali scrutinio.

Circa numerum partis Principis, peculiaris fuit modus sentiendi Philosophi qui libro de juventute, capite 1. affirmat inter omnes partes nostri corporis, solum cor principatum obtinere, eò quod nihil recipiat, sed tribuat, & sit origo omnium virtutum. Ità libro 2. de Generatione animalium, capite 4. per sequentia verba.

Cum igitur principium sensus, totiusque animalis in corde contineatur, hanc ob causam primum gignitur. Idem testatur libro 3. de partibus animalium, cap. 3. sic. Cor enim in priori parte, atque in medio situm est, in quo principium, vita, omniumque motus, & sensus esse censemus. Clare igitur constat Philosophum sentire solum cor primatum obtinere, & independentiam inter omnia corporis membra: Unde Avicenna *fen. 1. libro, primo, doctrinâ 5. capite 2.* ait sic. Philosophorum magnus dixit, quod membrum tribuens, & non suscipiens, cor est, ipsum namque est omnium virtutum prima radix, omnibus aliis membris suas tribuit virtutes, quibus nutriuntur, & vivunt & quibus comprehenduntur, & moventur. Clarius idem testatur 2. *Metaphisica, cap. 1.* per sequentia verba. In unoquoque genere est veniendum ad unum primum, quod est causa ceterorum; ergo in genere organorum habentium partes, qua videntur principes etiam ad unam primam: sed illud est cor, & non aliud, ergo plura organa ponere precipua videtur superfluum. Et ratione probatur idem assumptum, quia mors non advenit, nisi causa sit communicata cordi; ita Galenus *lib. 5. de locis affectis, cap. 1.* ergo cor est vitæ principium, & causa mortis, ac per consequens solum ipsum cor est membrum princeps. Confirmatur quia virtute communicata à corde reliquæ partes operantur, & cessante desinunt, ut constat in syncope. Ergo cor est principium omnium actionum; ac perinde solum ipsum habet principatum inter omnia membra. Ulterius corroboratur assertum; quia cor est origo, & principium calidi naturalis, seu influentis, quod est omnium actionum instrumentum, ergo solum à corde procedunt omnes actiones à quibus vita pendet. Solum igitur cor est principale membrum. Perpendite Avicennam circa rem propositam, qui *fen. 1. libro 1. Doctrin. 6. cap. 1.* sic habet: *Vitalis Virtus est illa, que spiritus esse conservat; qui sensus, & motus vehiculum existit, & ipsum reddit aptum ad eorum impressiones incipiendas, cum ad cerebrum pervenit, & facit ipsum potentem dandi vitam, ubicunque expanditur; & huius quidem virtutis sedes, & operationis ipsius processus est cor.*

Verior opinio est, quæ tenet tres esse partes principes hanc tuetur Galenus, 6. *de usu partium cap. 2.* ubi tres admittit facultates, quibus nostrum corpus gubernatur, altera naturalis, quæ residet in iecore, altera vitalis, quæ in corde, & tandem animalis, quæ in cerebro habet proprium domicilium. Libro tamen *Artis medicinalis, cap. 9.* inter membra principalia posuit testiculos, perpendite verba. *Principia igitur sunt cerebrum, cor, hepar, testiculi, ex quo videtur quatuor esse membra principalia, quorum tria prima enumerata dicuntur talia in ordine ad individuum; testiculi verò in ordine ad speciem conservationem, principatum obtinent.* Hanc doctrinam expressit Avicenna *fen. 1. lib. 1. doct. 5. cap. 2.* per sequentia verba: *Secundum vero singularis durabilitatem sunt tria principia, cor quidem principium virtutis vitæ & cerebrum quidem est principium virtutis sentiendi, & movendi hepar, quod est principium virtutis nutriendi, sed secundum speciem durabilitatem sunt principia hæc tria, & etiam aliud quartum, quod speciei existit proprium, & sunt testiculi, qui uni rei sunt, necessary, & ad rem aliam juvativi.* Ex his planè con-

stat tres esse partes principes in ordine ad individuum, quia ipsi communicant aliquid simpliciter necessarium ad suas peculiare actiones; in ordine autem ad speciem multiplicari aliam partem principem, videlicet testiculos, quoniam ab ipsis producitur substantia simpliciter necessaria ad propagationem, nempe semen.

Cæterum, videtur etiam testiculos principatum obtinere, in ordine ad individuum, cò quòd præstant aliquid pro conservatione individui nempe robur pro actionibus, ratione spiritus vitalis. Audiamus Galenum, qui *lib. 1. de semine, cap. 16.* videtur hanc doctrinam amplecti. *Quid igitur mirandum est, si quemadmodum sentiendi, ac movendi facultas, à cerebro in nervos pulsandi à corde in arterias diffunditur, ita quoque à testibus in totum corpus vim quandam dispergi dicamus.* Ergo ex mente Galeni videtur testiculos habere principatum non solum in ordine ad speciem, verum etiam in ordine ad individuum.

Respondetur quòd licet sit verum viros aptos ad generationem esse robustiores ratione spirituum, qui dicuntur gignitivi, & à testibus communicantur, nihilominus, testes non debent communicare inter partes principes in ordine ad individuum, quia non communicant individuo aliquid simpliciter necessarium ad operandum ea ratione qua individuum est; sed quatenus importat ordinem ad generationem, & propagationem, seu speciei conservationem, at verò cor communicat spiritus vitales, & qualitatem irradiantem sine qua vitales, seu pulsificæ actiones exerceri non possunt; & similiter cerebrum, & jecur, ut infra latius constabit; merito igitur testiculi excluduntur à principatu in ordine ad individuum, minimè verò in ordine ad speciem quippè vir detractis testibus nulla caret actione præterquam generativa feminis faciendi, & nutritione partium amissarum: nihil autem istorum aliis partibus ab illis impartitur. Cæterum quòd præstant testes, notificavit Galenus, *cap. 16. nuper citato*, loquens de qualitate quam exhibent, per sequentia verba. *Quæ quidem in maribus robustis, ac masculini habitus, in feminis feminea natura in causa est, ac propterea efficitur ut femina mari castrato similis evadat.* Vides quomodò testiculi solum ad virilitatem actionis individui; sed ad melius operari conducant, minimè verò aliquid simpliciter necessarium ad operari individui, quæ individuum est, præsent, & sic merito non dicuntur testiculi pars princeps in ordine ad individuum.

Ratione etiam validatur conclusio; nam illud solum dicitur membrum princeps, quòd communicat individuo aliquid simpliciter necessarium ad operandum; sed cor communicat spiritum vitalem, & qualitatem irradiantem, sine quibus vitales actiones, seu pulsificæ fieri non possunt; similiter cerebrum communicat virtutem ad sensum, & motum medio spiritu animali, & illustrante alia qualitate, demùm jecur communicat omnibus alimentum per cuius defectum marcescunt, & tabescit vivens. Ergo cor, cerebrum, & jecur solum sunt partes principes in ordine ad individuum. Et confirmatur, nam solum prædicta membra habent vias per totum corpus disseminatas ab ipsis dimanantes, nempe arterias, nervos, & venas, mediis

mediis quibus diffunduntur virtutes, ut constat ex anatomia; ergo solum sunt tria dicta membra principalia: Tandem suadet nostra doctrina, nam læsis corde, cerebro, & jecore, operationes vitales, animales, & naturales deficiunt, aut læduntur, eâ proportionem quâ læditur membrum, aliquod ex dictis, ergo ab ipsis communicatur toti aliquod simpliciter necessarium ad operandum, ac per consequens solum sunt partes principes, quoniam solum in ipsis facultates principes resident.

De testiculis clarissimè constat principatus in ordine ad speciem; nam detractis testibus, (aliis tribus partibus enumeratis re& se habentibus) omnino aboletur generatio seu speciei multiplicatio; ergo ex eo est quia testiculi producunt instrumentum simpliciter necessarium ad generationem, & prolificationem; si ergo cor, cerebrum, & jecur dicuntur partes principes, quia in ipsis resident facultates principes, ratione quatum toti communicatur aliquid simpliciter necessarium ad operandum in suo genere, meritò testiculi inter partes principes in ordine ad speciem enumerantur, quia in ipsis generatur seminalis substantia simpliciter necessaria ad prolificationem, & speciei propagationem.

Dices, Ventriculus producit materiam necessariam pro nutritione totius, nempe Chylum, ergo debet esse pars princeps. Antecedens est certum, consequentia probatur à simili, nam eò præcisè jecur dicitur membrum princeps, quia communicat materiam necessariam simpliciter pro nutritione, nempe sanguinem, sed ventriculus etiam communicat materiam necessariam, nempe chylum; ergo simili ratione debet esse pars princeps. Idem argumentum de pulmone formari potest, eò quod trahat aërem simpliciter necessarium pro vita, & pro toto viventi, ergo etiam erit pars princeps.

Respondetur, Ventriculum, & pulmonem servire parti determinatæ, Ventriculus quidem jecori, subministrando materiam chylosam; pulmo verò cordi per aëris communicationem itaque non operantur immediatè pro toto, sed interveniendo membro peculiari, at jecur, cor, & cerebrum, operantur communicando toto viventi aliquid immediatè simpliciter necessarium ad opera vitalia, animalia, & naturalia, ut infra latius constabit. Et sic meritò dicuntur partes principes, secus ventriculus, & pulmo.

Solum restat diluere argumenta in contrarium posita, & licet, verum sit Philosophum sensisse, cor esse originem omnium facultatum; nihilominus, contrarium constat experimento forsan tamen illud insinuavit; quia inter omnes partes principes, & facultates, quibus constant, cor habet primum locum, quia est principium vitæ, non tamen quia unaquæque pars principalis, non sit prima in suo genere, ex quo constat in quolibet genere deveniendum esse ad unum primum principium, sic in genere actionis vitalis deveniendum est ad cor; in genere actionis animalis, ad cerebrum; & tandem in genere actionis naturalis, ad jecur; undè quodlibet membrum princeps est primum in suo genere, etiam si verum sit, genus actionum vitalium habere primum locum; & proindè cor inter tria principalia membra, habere majorem dignitatem, ob præstantiam, & excellentiam

actionum, ad quas præstat virtutem, non tamen proindè, cor solum est membrum princeps, neque principium omnium actionum.

Ad primam rationem respondeo, quòd etsi ad mortem necessariò debeat pati cor, quia est principium vitæ, non tamen sequitur solum cor esse membrum princeps; quoniam non minus petit anima ad suam conservationem cerebrum, & jecur esse rectè temperata, quàm cor; & sic potest deficere vita, non solum per læsionem cordis, sed per læsionem cerebri, & jecoris; aliàs posset, vivens permanere illæso corde, sine cerebro, aut jecore, quod chimericum est; ergo licet ad mortem necessariò patiat cor, non indè inferitur, solum ipsum esse membrum princeps; cum etiam dependeat vita ab influxu, & permanentia reliquarum partium principalium, sicut etiam conservatio speciei, ab influxu, seu permanentia testiculorum.

Ad confirmationem dicimus, membra principalia inter se pari per consensum, & sic deficientibus spiritibus vitalibus in syncope, cessare vitam, quia deficit conprincipium necessarium ad vitam, sicut etiam deficientem sanguine à jecore communicante, vivens tandem deficere, & marcescere; tum quia deficit alimentum, tum etiam quia ex sanguine elaborantur, præcipuè omnes spiritus; ergo ex hoc non sequitur cor solum habere principatum; neque ex eo quòd cor sit origo caloris influentis sequitur ipsum solum esse principale membrum; etenim non est omnium actionum instrumentum; sed est requisitum pro omnibus actionibus; nam etsi ponatur calor vitalis influens; si secladatur actio cerebri, deficient sine dubio sensus, & motus in animali, ex quo constat solutio ad ultimum argumentum.

Neque Avicennæ testimonium convincit: nam spiritus vitalis disponit ad omnes actiones, non quidem producendo in diversis partibus diversos effectus; sed unam dispositionem inducendo ad omnes actiones tanquam instrumentum generale: Ex hoc tamen non inferitur sensum, & motum à corde procedere, sed ex peculiari actione cerebri, & sic de reliquis membris principalibus philosophandum est, etsi vitalis spiritus ad omnes disponendo concurrant.

Ex dictis inferitur partes principes dici tales, per facultates principes, quæ in dictis partibus habent proprium domicilium; sic cor dicitur pars princeps de genere virtutum vitalium, quia in ipso residet facultas vitalis à qua omnes actiones pulificæ totius viventis dependent tanquam ab origine, & primo fonte: Cerebrum etiam dicitur pars princeps de genere virtutum animalium, quia in ipso est facultas animalis à qua opera omnia animalia, quæ attinent ad sensum, & motum dependent: Tandem jecur est pars princeps de genere virtutum naturalium, quia omnia opera gradus naturalis, à facultate naturali sanguifica, quæ in ipso residet dependent, quoniam subministrat materiam necessariam nutrimenti, ex qua omnes partes aluntur; unde licet opera nutritionis sint vitalia, tamen naturalia dicuntur, quia aliquantulum assimilantur agentibus naturalibus in productione sui similis.

Ex relatis facultatibus, naturalis continet sub se generativam facultatem, quæ princeps est in ordine ad speciem, & in testiculis residet, à quibus dependet speciei conservatio, quia à facultate generativa producitur instrumentum simpliciter necessa

necessarium pro conservatione speciei, seu ipsius propagatione; Ergo sicut cor, & cerebrum dicuntur partes principes, quia in ipsis est facultas princeps à qua opera vitalia, & animalia procedunt necessarîo. Sic testiculi dicuntur pars princeps, quia in ipsis est facultas princeps generativa, à qua speciei conservatio dependet, propterea quod communicet aliquid simpliciter necessarium ad generationem, nempe semen, sine quo opus generationis fieri non potest.

Dices, etiam dantur facultates diversæ, sub genere animalis contentæ, nempe rationalis facultas in cerebro existens; concupiscibilis in jecore, & irascibilis in corde, juxta Platonis placitum *lib. 4. de Republ. in Thymeo*; quod etiam amplectitur Galenus, *de Placitis, cap. ultimo*: ergo sicut datur peculiaris pars princeps, quæ continetur sub facultate naturali, nempe generativa, quæ in testibus domiciliatur, sic debent dari aliæ plures partes principes, quæ suo animali facultate continentur, nempe irascibilis, rationalis; & concupiscibilis.

Respondeo, quod licet istæ facultates sint diversæ, & resideant in membris diversis principalibus, nihilominus non dicuntur facultates principes, sicut generativa facultas, quia non dependent alia membra ab ipsis, neque recipiunt aliquid ad opus necessarium, à partibus in quibus sunt, quatenus dictis facultatibus constant.

CAPVT III.

*Quid tribuant partes principes ratione
cujus sint tales?*

EX dictis constat partes principes dici tales, Ex eo quod communicent omnibus corporis partibus aliquid simpliciter necessarium ad operandum, ratione cujus in ipsis residere facultates principes monuimus. In præsentia ergo vertitur in dubium, quid sit id quod communicatur à partibus principibus, reliquis membris. Locum tantum habet controversia de corde, & cerebro, in quibus militat eadem ratio, nam de jecore, & testiculis postea constabit.

Communis opinio tenet à corde, & cerebro in reliqua membra diffundi spiritus vitales, & animales, & hac ratione constituuntur partes principes. Sic Avicenna, *fen 1. lib. 1. doct. 6. cap. 1.* per sequentia verba. *Vitalis vero virtus est illa quæ spiritus esse conservat, qui sensus, & motus vehiculum existit, & ipsum reddit aptum ad eorum impressiones recipiendas, cum ad cerebrum pervenit, & facit ipsum potentem dandi vitam, ubicunque expanditur. Et hujus quidem virtutis sedes, & operationis ipsius processus est Cor.* Nihil clarius de corde. Idem testatur de cerebro, *cap. 4. subsequenti*, quorum verborum prolixam narrationem libenter omitto, quoniam nihil magis tritum inter Medicos est quam cor diffundere spiritus vitales in reliqua membra, mediis quibus vitales operationes exercentur. Et cerebrum etiam diffundere spiritus animales in totum corpus, à quibus operationes animales sentiendi, & movendi dependent, cujus eventus testis est experientia quotidiana; etenim posito im-

pedimento, ut spiritus animales, aut vitales possint communicari per nervos, & arterias, sive per obstructionem, sive per scissuram, sive per fortem ligaturam, illic deficient operationes vitales, & animales, in partibus existentibus infra impedimentum aliquid ex dictis, ergo operationes vitæ, & sensus, & motus descendunt ab influxu spirituum, ac per consequens infertur manifestè, spiritus communicari à corde, & cerebro reliquis membris, ut possint exercere animales, & vitales operationes, & hac ratione constitui inter partes principes.

Restat tamen scire, An solum cor, & cerebrum diffundant spiritus vitales, & animales, an verò aliquid aliud communicent, ut opera vitalia, & animalia eliciantur; Circa dubiolum hoc Galeni opinio est, præter spiritum vitalem & animalem produci à corde, & cerebro per continui alterationem, qualitatem aliam illustrantem; seu influxum conducentem ad opera animalia, & vitalia; ita tenet *libro illo suo*, cujus titulus est, *An sanguis in arteriis contineatur. capite ultimo*, ubi necessitatem hujus qualitatis illustrantis deducit argumento desumpto ab experientia; nam si scindatur arteria! & oponatur calamus intra ipsam, datur sine dubio, locus ad transitum, & communicationem spirituum, & tamen operationes vitales, seu pulsiæ deficiunt in partibus infra scissuram situatis. Ergo aliquid aliud communicatur à partibus principibus reliquis membris, præter spiritus, seu qualitatem illam, quæ mediis spiritibus communicatur, & diffunditur per omnes partes, per continui alterationem; sic de cerebro communiter philosophantur Authores; ita ut non solum ab ipso communicentur spiritus animales, & qualitas ab ipsis spiritibus immediatè orta (non à cerebro) pro animalibus operibus obeundis, verum etiam alia qualitas illustrans immediatè ab ipso cerebro in omnes partes per continui alterationem producat influens in opera animalia; ita ut ab his duabus qualitativis necessarîo procedant. Hanc sententiam recipiunt ferè omnes Authores convicti experimento adducto, à Galeno *libro citato*.

Cæterum, Galeni opinio suspecta valde mihi visa fuit; tum propter difficultatem experientia quam proponit; nam licet reverà in arteriis fieri possit, non tamen sine corruptione spirituum poterit scindi arteria, ratione alterationis abscissione facta; præterquam solum in nervis opticus locum habebit, quod attinet ad facultatem animale; in quibus, major erit difficultas experimenti, ob internam ipsius situationem, ratione cujus, si quis voluerit scindere nervos, & mittere calamus, prius dilacerationem, & vulnerationem ingentem debet præstare, cui potius defectus sensationis, & motus debet tribui, quam impedimento communicationis alterius illustrantis qualitatis, quæ defectu continuitatis nervorum non producit, per continui alterationem, non igitur erit multiplicanda talis qualitas illustrans; quandoquidem communicatur spiritus immediatè à corde, & cerebro, & mediis spiritibus communicatur qualitas ab ipsis immediatè procedens deferens virtutem vitalem, & animale: Tum etiam quia licet in partibus infra scissuram deficiant operationes vitales, & animales, indè non infertur hoc esse defectu alterius qualitatis illustrantis

sed defectu continuitatis quam debent habere partes ut conseruent robur, & temperiem debitam ad operandum; ergo ex Galeni experimento minimè convincitur necessitas alterius qualitatis illustrantis, ac proinde adstruenda non est.

Rogabis, si ab ipsis spiritibus animalibus, & vitalibus producitur qualitas necessaria pro actionibus vitalibus, & animalibus, cur hæc qualitas non poterit immediatè dimanare à corde & cerebro, indeque communicari omnibus partibus per continui alterationem, & sic non erit necessaria spirituum generatio ad opera vitalia, & animalia.

Respondeo, qualitatem illam immediatè oriri à spirituum forma, & sic non potest produci à corde, neque à cerebro, nec superfluit spirituum generatio, quippe talis est medium, ut qualitas illa dimanet à spirituum forma. Quocirca intelligitur, quòd cum nervi non sint cavi, possit communicari virtus per continui alterationem mediæ spirituum forma, à qua pullulat illa qualitas, quæ per continui alterationem ab una parte in alteram poterit diffundi: Præterquam quod manet etiam probabilis opinio dicentium per porositates nervorum posse communicari spiritus, à quibus perenniter dimanat qualitas illa conducens pro operibus vitalibus, & animalibus. Et hanc esse veriorum opinionem firmiter teneo, quâ benè componitur, ut per fortem ligaturam deficiat sensus, & motus. Neque acquiesco doctrinæ nostri Primarij Martinez supra citati, qui asserit per fortem ligaturam impediri communicationem talis qualitatis ortæ à forma spirituum, quæ per continui alterationem producitur. Nam densitas quæ in nervis producitur per ligaturam, non impedit alterationem, neque productionem qualitatis illius, utpotè non solvit continuitatem, & alias conducit densitas ad fortius operandum. Ergo sicut densitas passivæ, non impedit alterationem continuam in aliis qualitativis activis, neque erit impedimento quominus qualitas illa quæ oritur à spiritibus communicetur reliquis membris infra ligaturam situatis: verius ergo apparet spiritus communicari per poros nervorum, à quibus qualitas illa perenniter dimanat, ratione cuius membra, vitales, & animales operationes exercent.

Militat etiam contra nostrum Primarium, argumentum quod ipse adducit contra se, nempe nervos non esse necessarios, ut virtus animalis communicetur, & diffundatur in omnes partes; etenim tanquam verius supponit, qualitatem illam quæ immediatè dimanat à forma spirituum, produci per continui alterationem, per nervos; sed etiam poterit produci per partes carnosas, quippe sunt capaces ad recipiendam virtutem ad sensum, & motum (ut experientia manifestat.) Ergo frustra Natura fabricavit nervos, quandoquidem qualitas ipsa à spiritibus in partes carnosas poterit produci, & inde à parte in partem, per continui alterationem poterit communicari. Cui argumento respondet citatus doctor, quòd etsi qualitas illa possit produci à spiritibus in partibus carnosis, tamen ab ipsis in alias non poterit debito modo communicari defectu alicuius dispositionis conducantis, nempe defectu densitatis, quæ quia in ner-

vis reperitur, ideò sunt necessarij ad communicationem talis qualitatis requisitæ pro sensu & motu; quia media sensitate intensius agit in nervo, & sibi similem producit, atque ideò pars carnosæ in alteram.

Cæterum, licet hæc solutio aliquam contineat probabilitatem, quâ possit quis effugere vim argumenti, tamen in ea fatetur noster Doctor densitatem esse dispositionem, ut melius, & intensius versus illa ad sentiendum diffeminetur, ac per consequens debet fateri quod per ligaturam non poterit impediri communicatio talis qualitatis per continui alterationem, cum potius densetur magis per ligaturam, quod supra negavit: quapropter licet per nervos citius & melius communicetur qualitas à spiritibus animalibus producta; ideòque ad hoc munus sint necessarij, habent tamen peculiarem usum, & prærogativam pro firmitudine corporis, ideoque merito ipsos Natura fabricavit, & nunquam fuit ipsorum fabrica superflua.

Iterum obiecit Doctor noster Martinez citatus contra se, nam qualitates quæ à spiritibus immediatè producuntur pro sensu, & motu, non sunt activæ, ut constat in hemiplexia sive paralyti, in qua dimidium corporis privatur sensu, & motu; sed si qualitas illa esset activa, & sui similis productiva, posset sine dubio, à dimidia parte corporis in alteram dimidiam communicari, hoc autem non ita fit, ergo talis qualitas minimè potest de parte in partem produci.

Huic argumento respondet citatus Doctor, talem qualitatem communicari eo modo ac diffundit lumen; quòd lineæ rectæ intensius producitur, quàm lineæ transversæ, & sic in hemiplexia ab una in alteram partem lineæ transversæ non poterit communicari illa qualitas, quippe remissius cum agat, non sufficit pro sensu, & motu in altera dimidia parte. Solutio tamen hæc frivola est, nam sine fundamento dicitur talem qualitatem ad sensum, & motum necessariam assimilari luci in productione, cum certum sit in statu sanitatis æquè produci per omnes partes corporis sive per lineam rectam, sive per reflexam: Præterquam quòd, experimento constat neque vestigium aliquod sensationis & motus apparere in parte, seu membro paralyti affecto; atqui lux per lineam transversam apparet in loco transversali, licet non ita intensa, non ergo se habet productio illius qualitatis, sicut productio lucis; quapropter censeo verius esse quod supra insinuavi, nempe talem qualitatem mediis spiritibus per porositates communicari, & diffundi de membro in membrum; & quod defectus sensationis in membro paralytico oritur ex eo quod ab humoribus crassis, & lentis, aut per ligaturam, prorsus obstruantur porositates, ita ut spiritus minime possint penetrare, & sic neque possit qualitas ab ipsis immediatè producta communicari pro sensu, & motu, & sic eadem ratione de qualitate immediatè producta à spiritibus vitalibus philosophandum erit.

CAPUT. IV.

Utrum sit eadem virtus pro sensu, & motu conducens?

Videtur diversam esse virtutem pro sensu, & motu, & unam minimè sufficere: ita Galen. i. de Placitis, cap. 9. per sequentia verba, *Inter nervos alii deferunt sensum, alij motum, alij utrumque.* Ex his licet inferre diversam esse virtutem, aliam quidem pro sensu, & aliam pro motu, quippe nullus solam unicam virtutem deferre posset si eadem esset, & indivisibilis pro sensu, & motu. Ratione etiam validari potest hæc assertio, nam sensus, & motus sunt opera specie diversa; ergo procedunt à virtute specie diversa. Confirmatur; nam sæpè sæpiùs reperitur sensus sine motu, & interdum motus sine sensu, ut constat ex historia Galeni toties repetita ab Authoribus, i. de loc. affectis, de Paulania, cuius duo digiti, & alterius digiti dimidium sine sensu movebantur: Et similiter constat in delirantibus esse motum sine sensu; nec non etiam in dormientibus esse sensum sine motu; ergo diversum principium effectivum influit pro sensu, & motu: etenim si unica, & indivisibilis esset virtus pro sensu & motu, minimè posset dari sensus sine motu, nec motus sine sensu, ut in exemplis adductis constat.

Pro resolutione controversiæ notandum est, virtutem pro sensu, & motu oriri à qualitate immediate producta à spiritibus animalibus, mediis quibus communicatur à cerebro in omnes partes virtus animalis, quæ se habet tanquam dispositio ex parte principij activi, sive facultatis cuiuslibet membri ad exercenda opera animalia.

Uterius, supponere debemus, quòd cum motus consistat in actione, & sensus in passione, maior virtus erit necessaria pro motu quàm pro sensu, quo bene stat quòd eadem sit virtus in specie pro sensu, & motu, & quòd intensior virtus requiratur pro motu, quàm pro sensu, ac perinde quo possit esse sensus in aliquo membro sine motu, non tamen quòd possit esse motus sine sensu, attenda solâ virtute pro sensu, & motu, quippe solum differunt secundum magis, & minus. Quâ ratione Gal. 2. de caus. symptomatum, cap. 5. docuit sensum posse servari deficiente motu, quoniam maior virtus requiritur ad motum, quàm ad sensum.

Ex his deducitur nostra conclusio, quæ communissima ferè est inter omnes Medicos, nempe eandem esse in specie virtutem, pro sensu, & motu, & solum differre secundum magis, & minus, ita ut maior virtus requiratur pro motu seu intensior, quàm pro sensu, propter rationem supra insinuatam, & quia ex Gal. clare colligitur, capit. 5. cirato: nam auctâ virtute ad sensum requisita est virtus pro motu, & diminuta virtute requisita pro motu deficit motus, & perseverat sensus; ergo eadem est in specie virtus ad sensum, & motum, & solum differit accidentaliter, differentiâ secundum magis, & minus.

Validatur etiam nostra conclusio: nam si ob aliquam rationem esset concedenda diversa virtus pro motu, & sensu, maximè propter ope-

ra diversa in specie; sed in causis æquivocis stat bene quòd eadem sit virtus, & idem principium elicativum, & quòd opera sint diversa in specie, ergo poterit stare quòd cum virtus pro sensu, & motu, sit causa, seu principium, aut dispositio se tenens ex parte causæ æquivocæ, possit conducere ad opera diversa in specie. Et clarius constat hæc doctrina; cum dictum sit virtutem pro sensu, & motu esse dispositionem se tenentem ex parte agentis in ordine ad opera sensus, & motus, & hac ratione per se conducere pro operibus diversis in specie, sic eadem illuminatio pro diversis visionibus in specie conducit, & eadem obiecti cognitio pro diversis actionibus in specie conducit; ergo sic similiter qualitas illa à spiritibus producta poterit disponere, & còducere pro operibus specie diversis: nempe pro sensu, & motu: Ex quo constat solutio ad argumentum in còtrario positum.

Ad alterum argumentum ex Gal. doctrina deductum, dicimus minimè dixisse Gal. aliam esse virtutem communicatam ad motum, & aliam diversam pro sensu; sed potiùs alios esse nervos conducentes pro sensu, alios pro motu; quo bene stat ut eadem sit virtus in specie, diversa tamen secundum magis & minus; quippe nervi qui in musculos tendunt, ad motum, & sensum illius partis deserviunt; at qui non tendunt in musculos, minimè deserviunt ad motum, undè sensus sine motu poterit dari in aliquibus partibus, non tamen motus sine sensu, nisi ratione diversarum partium deservientium ad motum, & sensum, ut in exempla Paulaniæ constat, in quo quia impeditur, & obstructæ erant viæ deferentes virtutem ad partes externas in quibus debebat fieri sensatio, abolita erat, permanebat tamen motus, quoniam in musculis interioribus nullum erat impedimentum, neque vitium; cæterum si esset impedimentum à parte musculosa ad receptionem virtutis animalis, & non in parte nervosa, erit sensus sine motu ratione diversarum partium conducentium ad tale opus; si tamen solum consideremus virtutem animaleam, nullo respectu habito ad partes diversas in quibus recipitur, licet possit esse sensus sine motu, non tamen motus sine sensu; quippe una est virtus ad utrumque, & solum differt secundum magis & minus; minor autem virtus sufficit pro sensu; si tamen augeatur, valet ad motum, & si aucta diminuatur, permanet virtus sufficiens ad sensum, non tamen ad motum. Ex quo constat solutio ad secundum argumentum.

CAPUT V.

Per quid constituatur Iecur in esse partis principis?

Constat ex supra dictis iecur inter omnes partes corporis principatum obtinere, sicut & cor, & cerebrum, quia omnes communicant aliquid simpliciter necessarium, ad operari reliquis membris; & cum certum sit, à corde, & cerebro diffundi spiritus vitales, & animales, mediis quibus qualitas influens communicatur, Dubitatur in præsentia, an ita se habeat iecur in suo principatu per communicationem alicuius

alicujus spiritus, seu qualitatis influentis, in ordine ad opera naturalia nutritionis, & augmentationis, quæ sit simpliciter necessaria, & ratione ejus dicatur jecur princeps pars.

Partem affirmantem videtur insinuare Gal. 1. *lib. Method. circa finem*, per sequentia verba. *Sane de his particulis illud arbitror, didicisti, cerebrum nervis, ac musculis, cor arteriis, jecur venis virtutem suppeditare.* Ex quibus licet colligere à jecore in omnes partes aliquid simpliciter necessarium ad opera naturalia per influxum communicari, sumpto etiam argumento à simili: etenim cum Gal. numerat tria principalia membra, docet de corde, & cerebro virtutem suppeditare nervis, & arteriis, jecur autem venis; sed cor, & cerebrum communicant cæteris partibus aliquid simpliciter necessarium per influxum, ergo similiter, & jecur debet reputari inter principalia membra, quia communicat aliquid omnibus partibus nostri corporis per influxum simpliciter necessarium ad operari. Pætet hæc ultima consequentia, quia non minus est membrum princeps jecur, quam cor, & cerebrum; sed hæc membra dicuntur principalia, quia communicant aliquid per influxum, ergo & jecur.

Argumentum etiam à paritate desumitur ex operibus ad quæ conducunt partes principes: siquidem non sunt minoris momenti opera nutritionis, & generationis, quam opera sensûs, & motûs, & quæ à corde dependent, sed ad opera animalia, & vitalia, est necessaria dependentia à corde, & cerebro per influxum; ergo etiam ad opera naturalia quæ à jecore dependent, erit necessaria dependentia per influxum.

Verior tamen sententia est quæ affirmat omnes partes corporis dependere à jecore quatenus producit materiam necessariam pro nutritione ipsarum, & hac ratione dici partem principem, quin sit necessarium quòd jecur producat aliquam qualitatem influentem, neque spiritum naturalem, ut rigorosè, & propriè dicatur membrum principale, à quo opera omnia generationis, & nutritionis dependent; præcisè quia communicat, & producit materiam necessariam pro nutritione. Hæc conclusio ex dictis in nostro *Tractatu de Humoribus* probata sufficienter manet, ibi enim docuimus omnes humores à jecore generari tanquam à causa æquivoca pro nutritionis materia, & hoc munus per se ab hepate præstari propter dignitatem officii, & præstantiam: si ergo à jecore dependent omnia membra, quia præstat ipsis materiam necessariam pro nutritione ipsarum, meritò ob hanc dependentiam alià qualibet seclusa, debet computari inter partes principes. Corroboratur hæc assertio ex his quæ in *Tractatu de Humoribus* docuimus, ubi minimè esse necessarios spiritus animales probavimus latè; ergo à jecore in aliquas partes nihil producit per influxum, sed solum communicatur materia pro nutritione; ac proindè solum ob hanc dependentiam meritò dicitur pars princeps, quippe pars princeps præcisè constituitur in esse talis, quia ab ea dependent omnes partes in suo genere ad operandum, ex eo quòd communicet aliquid simpliciter necessarium ad opera sui generis; sed hoc salvatur solum ex eo quòd jecur præstat materiam necessariam pro nutritione totius corporis, ergo

Henriq. Laureæ Medica. Tom. I.

hoc solum sufficit ut jecur sit pars princeps; etenim dependentia salvatur, sive sit ratione alicujus qualitatis influentis, sive ratione spiritûs, sive ratione materiæ, hanc communicat jecur; ergo per hanc dependentiam dicitur membrum principale, & non quia communicat aliquid omnibus partibus per modum influxûs.

Cæterum, quòd jecur non communicat aliquid omnibus partibus per modum influxûs, probatur ex Gal. 1. *de loc. affectis, cap. ultimo*, per sequentia verba. *Atque in hac re plurimum differunt naturalia ab animalibus instrumentis; siquidem naturalibus connatam actionis vim esse, animalibus verò instrumentis à principio veluti lumen à sole ipsam desluere jam ostensum est.* Ex his clarè inferitur minimè jecur communicare aliquid per influxum veluti lumen à sole, sicut in animalibus instrumentis accidit, videlicet ex eo quòd à cerebro tanquam ab origine, & principio aliquid influat, ideòque animalia instrumenta patiuntur per consensum, secus naturalia, quod loco citato infra, Gal. manifestavit sic. *Quamobrem solis partibus, quæ & sentiendi, & movendi vim habent accidit ut ipsis nequaquam affectis, nihilominus earum actio pereat, id quod in naturalibus instrumentis accidere non solet, prius enim eâ affici necessum est, quam actio lædatur.* Aurea quidem verba! ex quibus inferitur clarè jecur in naturalia instrumenta nihil influere eo modo quo cerebrum in animalia; quippè si ità esset, naturalibus instrumentis nequaquam patientibus, earum actio periret; constat autem prius ea affici necesse esse ut patiantur, ut ultima verba nuper relata id probant; ergo naturalia instrumenta non patiuntur per consensum, ac proindè jecur nihil in ea influit sed solum suppeditat materiam pro nutritione; & hac ratione est membrum princeps, & salvatur autoritas in contrarium adducta ex *lib. 7. Methodi.*

Præterea etiam hoc idem assumptum corroboratur, nam si hepar influeret in instrumenta naturalia, per sectionem venæ, partes infra scissuram privarentur operibus propriis, sicut accidit sectâ arteriâ, aut nervo; sed id non accidit, ut experimento constat; ergo jecur nihil producit per influxum in reliquis partibus.

Sed pullulat objectio ex his, quæ docuimus in nostro *Tractatu de Humoribus*, etenim ibi scriptum est humores omnes posse in quolibet membro generari ex qualibet materia heterogenea; ergo jecur non potest dici membrum princeps ex eo quòd in ipso generentur omnes humores qui sunt materia nutritionis omnium partium.

Respondeo solum in jecore generari omnes humores per se, & ab ipso in omnes partes distribui per vias ad id destinatas, & vasa alimentum deferentia ab hepate oriuntur, & dicitur officina communis, & principalis à Natura instituta ad hoc munus, reliqua verò membra particularia solum per accidens, possunt generare omnes humores, neque ab ipsis in omnes partes communicantur, atque idè solum jecur est pars princeps propter hoc munus proprium, minimè verò reliqua membra in quibus solum accidentaliter & per accidens possunt humores generari, ubi latè ibi ostensum est.

Videtur etiam facultatem naturalem pati per consensum, ac proindè recipere aliquid per influxum,

fluxum. Antecedens probatur; nam ideò sensitiva, & motiva facultas patiuntur per consensum, quia deficiente influxu à cerebro opera sensus, & motus illicò evanescent; sed defectu influxus à corde facultas coquens non coquit; ergo etiam patitur per consensum.

Respondeo, nullam facultatem naturalem, neque coquentem recipere aliquid per influxum à suo membro principe, jecore scilicet, quo bene stat ut non patiat per consensum respectu jecoris, bene tamen respectu cordis quod universaliter influit in omnes partes pro conservatione vitæ, undè non negamus dependentiam, & influxum facultatum naturalium in alio genere, sed in eodem genere: quo etiam optimè componitur, ut omnes partes principes adinvicem inter se dependant in diverso genere, & tamen hoc non tollit principatum; quo optimè salvatur quod cerebrum in genere facultatis animalis, & in ordine ad opera sentiendi, & movendi ab alio membro non dependeat, & omnia à cerebro dependant, etsi dependeat à corde in ordine ad vitalia opera, & à jecore in ordine ad naturalia per subministrationem materiæ nutrimentalis; idem dicendum de corde, nam etiam dependet à jecore, & cerebro: ergo non obstat dependentia unius membri principalis ab alio in diverso genere, quominus dicatur principale, ex quo constat solutio difficultatis positæ, & nostræ conclusionis veritas magis elucescit.

De tribus partibus principalibus in ordine ad individuum hucusque tractavimus, restat tamen sermonem facere de parte principe in ordine ad conservationem speciei, quæ talis dicitur, non quia tribuat aliquid simpliciter necessarium ad conservationem totius, quæ individuum est, sed in ordine ad propagationem, & speciei conservationem, & cum dictum supra sit, testiculos principatum obtinere, in ordine ad speciem, operæpretium erit explicare quid tribuant testiculi, ratione cujus constituentur in principatu in ordine ad speciem.

Et quidem in hac re certissimum est propagationem, & speciei conservationem fieri mediâ generatione, ita Philosophus 2. de Anima, cap. 4. per hæc verba: *Quia fieri nequit, ut caducorum atque mortalium quidquam idem unumque numero semper permaneat, permanetque non ipsum, sed tale quale ipsum, numeroque idem non unum specie tamen unum.* Hinc clarè constat per similitudinem generationem speciem conservari; & cum generatio fiat mediâ seminis communicatione, colligitur manifestè testes inter partes principes reputari; quia in ipsis elaboratur semen, & perficitur quod dicitur instrumentum simpliciter necessarium pro generatione; ut latè in nostro Tractatu de Semine, docuimus, ibique probavimus contra nostrum Primarium Martinez, semen minime ab omnibus partibus corporis procedere, sed solum in testiculis generari, & in hac nostra opinione clariùs intelligitur principatus in testiculis in ordine ad speciem, quam in doctrinam Primarii citati; siquidem generationis principatum activum totum refunditur in testes, & in alia opinione virtus formativa refunditur in omnia membra à quibus spiritus sigillantur, & per talem sigillationem accipiunt virtutem generandi, seu vim activam; sed quia de his abundè loco citato diximus, in

præsenti plura omittimus pro corroboratione nostri asserti; sufficiat tamen adducere rationem fundamentalem quæ suadeat testes merito inter principalia membra nostri corporis computari in ordine ad speciem; nam ea dicitur pars princeps à Galen. cap. 9. *Arts Medicinalis*, à qua opus aliquod dependet simpliciter necessarium, mediâ communicatione alicujus rei simpliciter necessariæ; sic cor in ordine ad vitalia opera, cerebrum in ordine ad animalia, & jecur in ordine ad naturalia se habet; sed communicatio seminis à testibus est simpliciter necessaria ad generationem pro similis productione; ergo quemadmodum cor, cerebrum, & jecur dicuntur partes principes in ordine ad individuum, sic testes inter principes debent reputari in ordine ad speciem præcisè per elaborationem, & communicationem seminis, quod est instrumentum simpliciter necessarium ad generationem, & ad propagationem, seu speciei conservationem.

Dices contra nostram resolutionem, Non minus est necessaria uteri actio ad generationem, quàm semen; quippè etsi efficiens generationis ponatur, & materia ipsius, si tamen uteri actio deficiat, minime fit generatio; ergo uteri concursus est simpliciter necessarius, ad generationem; ac perinde uterus erit pars princeps in ordine ad speciem. Respondeo uterum solum esse locum accommodatum, pro generatione, & nihil influere, neque agere in productione foetus, & sic non esse partem principem.

Objicies ulterius, Ad generationem non solum requiritur efficiens, verum etiam materia ex qua formetur foetus; ergo sicut illa pars in qua elaboratur principium activum generationis, dicitur princeps, sic similiter illa quæ præstat materiam ad generationem debet dici princeps in ordine ad speciem. Respondeo supponi in individuo partem quæ subministrat materiam, & spiritus, & alia requisita, ut testes operentur, & habere principatum in suo genere, ut supra docuimus, in ordine tamen ad speciem, solum dicitur illa pars princeps, in qua elaboratur instrumentum generationis, nempe semen, suppositis aliis requisitis, ad talem actionem, & cum solum in testibus fiat seminis elaboratio, inde fit quod solum principatus in ordine ad speciem refundatur in testes.

Tandem objicies ex Hipp. lib. de morbo sacro, text. 10. per hæc verba, *Semen enim ab omnibus partibus corporis fit, à sanis sanum, à morboſis morboſum.* Ex quibus verbis constat semen non elaborari in testibus, sed in omnibus partibus, ac proinde non debere numerari inter membra principalia in ordine ad speciem.

